
ANDINI
PYRUS

Pa-
pyrus


Conrad
et Consil.

vid. Vogtii Catal. libr. rar. p. 323. ubi hic liber 294. paginis constare dicitur, cum tantummodo absolvat paginis 280. forte computatae a Vogtio praefationis paginae, si numerentur. 14. hinc numerus evadit 294.

N. Praeter Scripta in titulo notata, Sub finem 1) Mercurialis de unguentis. et. 2) Grilandini glossemata in praecedens Mercurialis caput sunt annexa.

MELCHIORIS GVILANDINI PAPYRVS,

hoc est

COMMENTARIVS

in tria C Plinij maioris de papyro capita.

Accessit.

HIERONYMI MERCVRIALIS

Repugnantia, qua pro Galeno strenuè pugnatur.

Item

MELCHIORIS GVILANDINI

Assertio sententiæ in Galenum à se pronunciatæ.

βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν.

VENETIIS

Apud M Antonium Vlmum.

M D LXXII.

Nouerint omnes, Papyrum Melchioris Guilandini vnà cum auctarijs exhibitam fuisse antequàm typis subijceretur, tum hæreticæ prauitatis apud Venetos, & Patauinos inquisitoribus, tum ex Senatus Veneti decreto Bernardino Feliciano, uiro cùm insigniter docto, tum magnopere humano, & Octauiano Magio eidem Senatui à secretis: qui omnes perlectis singillatim libellis omnibus, cùm nihil in eis deprehendissent, quòd aut fidem catholicam, aut principes viros, aut bonos mores offenderet, atque id syngraphis suis amplissimo Venetorum decemuirali collegio non modò confirmassent, sed etiam persuasissent, effectum fuit quòd idem collegium decemuirale illos ipsos libellos publicari benignè ac gratiosè permiserit, atque insuper multam, & pœnam ei irrogauerit, qui citra M Antonij Vlmi voluntatem eosdem impresserit, aut alibi impressos importauerit, venalesúe habuerit, intra omnes ditionis Venetæ fines.

MELCHIOR GVILANDINVS

BAPTISTÆ GRIMALDO,

uiro illuſtri, atque magnanimo

S. D.



Semper conſtans & præclara eruditorum de Caij Plinij naturali hiſtoria exiſtimatio fuit Baptiſta Grimalde magnanime, inter Latina ueterum auctorum monumenta hodie exſtantia haud facile inueniri, quod ei rectè conferri, nedum anteferri ualeat. Tanta enim libris illis quatuor de quadraginta pulcherrimarum rerum cognitu dignarum copia cxponitur, tantus ſelectorum uerborum numerus promitur, vt ſine eis vix poſſit Latina res conſiſtere. Quidquid vſpiam eſt, ſiue cœlis ſurſum inhæreſcat, ſiue terræ deorſum incumbat, ſiue liquidũm ætherem ſuſpiciat, aut aquarum demerſum vndis degat, ſiue

ſit denique artis opus eximium, ſiue naturæ minimum, id omne mira verborum breuitate graphicè à Plinio explicatur. Sicut autem noſtra, patrúmq; memoria facile eruditisſimus quisque animaduertit, maiores aliquanto in hoc vno theſauros abſcondi quàm in multis alijs Latinis ſcriptoribus: ita promptè non mediocrem operam nauauit, vt diuinum opus, quod plerique propter ſummam qua à tranſcibentibus affectum fuit iniuriam vitabant, tutius inſpici, in manibus haberi, & ab omnibus legi posſet. Inter quos tametſi Hermolaus Barbarus patriarcha Aquileienſis, vir in tantum laudandus, inquantum intelligi virtus poteſt, ita effulgeat, vt omnes longo poſt ſe interuallo relinquat, & ſecundum habeat neminem: tamen defraudandi ſua laude non ſunt Budæus, Rhenanus, Cæſarius, Ruellius, Aldus, Perottus, Aqueus, Gelenius, Becichemus, alij non pauci, quorum ſtudio, & diligentia effectum eſt, vt Plinium ſine moleſtia propè ac ſtomacho legere valeamus. Quanquam autem ij omne tulisſe punctum videantur,

cùm

cùm quòd plurima præclarissimi operis vulnera sanauerunt, & multos locos obscuros illustrauerunt, tum quòd difficultates passim exuberantes attigerunt, et quasi digito monstrauerunt: tamen superesse adhuc non pauciora in eo vlcera, tenebras nihilo prioribus clariores, ambiguitates exquisitas, & alicubi inextricabiles, vt quisque est doctissimus, ita inspecto libro facilimè agnoscit. Cùm itaque ego quoque in locos aliquot senticosos offenderim, & quæ obstare videbantur flagitia inde, meo arbitratu, amouerim, cœpi sæpe, & multum mecum cogitare, facturúsne operæpretium sim, si eos in publicum, lucémq; producam, præsertim post tot eminentissimos viros, qui in Plinio restituendo, emaculando, declarandóq; elaborauerunt, cum quibus ego, sicut neque ingenio, neque studio, neque vsu, & cognitione rerum vlla ex parte sum comparandus: ita certè libenter fateor, minus mihi virium esse, quàm vt nomen castigatoris, aut interpretis Pliniani operis sustinere ausim. Neque enim ignoro quàm sit arduum vetustis nouitatem dare, nouis auctorita-

tem,

tem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia: neque inscius sum veterem, & vulgatam esse rem, vt, dum noui scriptores prodeunt: aut in rebus certius aliquid allaturi, aut inuentionis subtilitate eos, qui antea idem argumentum tractauerunt, superaturi credantur. Vtcunque hoc animaduersum, aut æstimatum fuerit, committere equidem non potui, nec debui, vt, quæ in eo auctore deprehendi vitia, decoxisse mihi non solùm viderentur, sed etiam reipublicæ litterariæ plurimùm nocuisse. Verùm enim ex multis quos hucusque censuræ subieci locis, constitui vnicum tantummodo hoc tempore de papyro, chartísq; tractatum emittere: tum quòd is mihi semper visus sit obscurissimus, nec tam neglectus ab alijs, quàm non intellectus esse: tum quòd animaduertam ignorari etiam à doctissimis, quali veteres materia scripserint, quæ nam eorum charta fuerit, & qua arte concinnari solita sit. Lectorem autem non possum non etiam hoc loco commonere, me in his castigan-

gan-

gandis, explicandisq; non tam vsum immodica, & effrena licentia, quàm libertate, nisi me animus fallit, castigata, & matura, quam mihi indulsit non tam antiquorum Pliniani operis exemplarium supellex, quæ ego nulla habere me fateor, nec vidisse, quæ laudem in eo genere mereantur, memini: quàm quòd perspectam, & ad vnguem exploratam habui rei ipsius, qua de agitur, naturam: quòd auctoris voluntatem ad amussim applicui: quòd nusquam graues coniecturæ defuerunt: quòd ratio euidens subinde accessit: ac denique quòd aliorum primæ notæ scriptorum eâdem de re certa fides, & testimonium amplissimum vbique ferè in promptu fuit, atque succurrit. Quam corrigendi veterum monumenta auctorum rationem, si quis improbat, ratus ex sententia Timonis Nicæni philosophi nihil esse nouandum quod vetustorum codicum præscriptum non monstrauerit: næ ille nimis delicatè, & planè iniquè agere videtur, atque philosophi eius sententiam nimis latè interpretatur, quasi ille nullum in Homeri poëmate versum menda vacare censuerit,

qui

qui non ſit ad antiqua emendatus exempla.
Fateor, quidem eam eſſe optimam, & tutiſſi-
mam libros emendandi rationem, quæ per
manu ſcripta, atque ea antiquiſſima exem-
plaria inſtituitur, quando haberi poſſunt:
ſed, illis deficientibus, nihil in hoc conatu
cum laude præſtari, conſtanter eo inficias.
Etſi enim Timon ille ſciſcitanti Arato, quo
pacto quiſpiam Homeri poema ſine menda
conſequi queat, rectè reſpondit, antiqua ſi in
cidat in exemplaria, non ea quæ nuper emen
data ſunt: tamen non idem etiam protinus
iudicium faciendum erit de Plinio, Solino,
& cæteris idgenus ſcriptoribus, qui quòd res
in natura exiſtentes non carmine, ſed ſoluta
oratione, nec fabuloſè ſeu fictè, ſed hiſtorica
fide, & vt ſunt, perſequuti fuerunt, poſſunt
non ineptè alter per alterum, & alij multi per
illos, & viciſſim illi per alios multos cùm La
tinos, tum Græcos, qui idem argumentum
tractauere, inſtaurari, atque in veterem di
gnitatem, integritatémq; reſtitui. Quid præ-
ſtiterim, ignoro: certè, vt præſtarem aliquid,
conatus ſum ſedulò ac diligenter: cuius rei
teſtes

testes erunt loci obscuriores multi, non in verbis modò Plinij, sed aliorum quoque auctorum plurium, quos, quantum in me fuit, dedi operam, vt his commentarijs, quos ad has de papyro emendationes adieci, quàm potui lucidissimè illustrarem, Vt ut autem legentes iudicauerint, gratiam tamen ab ijs qui grati sunt opinor aliquam inibo: quoniam quidem mihi publicæ vtilitatis cupidissimo non aggrediendi voluntas defuerit, sed perficiendi facultas. Cæterùm hanc tibi meam industriam, & meos, quicunque sunt, labores, Baptista Grimalde amplissime, do, dico, addicóq; : non vt legas: neque enim occupationes tuæ hoc patiuntur: non vt ab inuidorum, maleuolorûmq; morsibus defendas: veritas enim defensore non eget, & te falsa tueri non decet, neque ego postulo: sed vt illustris magnitudine nominis tui aliquid his splendoris accedat, atque homines non solùm intelligant me in tua constitutum esse clientela, sed etiam monumentum aliquod gratitudinis, ac obseruantiæ in te meæ existat, Etenim liberale, & acceptissimum illud munus, quo me

abhinc decennium ex Mauritanica captiuitate graui obſtrictum ære Genuam reuerſum, tu Baptiſta Grimalde magnanime vnà cum Paulo Spinola, Nicolao Doria Hieronymi mox Cardinalis filio, Balthaſare Lomelino, & Franco Lercaro, viris ſplendidiſſimis, atque innocentiſſimis donauiſti, facit, vt, niſi ingratiſſimus uelim dici, teſtatum facere debeam, conſeruare me etiamnum in recenti memoria, ſemperq́; poſthac conſeruaturum eſſe quæ in me collata fuere beneficia. Equidem Grimalde præſtantiſſime, tuæ ſplendor vitæ is eſt, eaq́; perilluſtris famæ celebritas, non inter Italos modò, in quibus natus es, & educatus, verùm etiam apud externas gentes, adóq; in Europa vniuerſa, vt, ſicuti quisque eſt doctiſſimus, ita in primis amicitiam tuam ardenti ſtudio requirit, expetitq́;. Mitto enim claritatem natalium, qua domus Grimalda inter præclariſſimas Italiæ mirum in modum excellit: & immenſam opum magnitudinem, quibus hac ætate ad Pythium illum Bythynium longè ditiſſimum hominum priuatorum quàm proximè accedis:

dis: quis est, qui in tanta nobilitate, tantam mansuetudinem: in tam amplis domesticis copiјs, tam modestum earum vsum: in tam corruptis horum temporum moribus, tantam æquitatem, temperantiam, moderationem animi præstet atque exhibeat: quanta in te mihi cognita iampridem atque perspecta est? Omnium, vt opinor, diuitum Crœsus, & Midas multò celebratissimi fuerunt: at hic auribus asininis etiam turpissimus est: ille verò calamitate, & summo, atque ignominioso vitæ discrimine miserrimus esse agnoscitur. Cùm verò etiam non nisi is diues habendus sit, cuius animo suæ sufficiunt diuitiæ: tu Grimalde magnificentissime omnino hos superas diuitijs. Nam tanta est tua erga multos munificentia, vt nemo non intelligat, tuas tibi diuitias non tantùm sufficere: sed animo tuo etiam superesse quod alijs largiaris. Deinde propter inusitatam tuam liberalitatem, qua omni laude, prædicatione, litteris, monumentísq; celebrandam patriam tuam decorasti, dignus habitus es, cui amplissimus ille senatorum Genuensium ordo statuam publicè

decreuerit, eámq; etiam uiuenti adhuc, cùm
multum ualet inuidia, in auguſtiſſimo urbis
loco collocauerit, ratus raram largitionem ra-
ro penſandam eſſe præmio. Cræſo uerò adeo
non ſufficiebant ſuæ opes, ut propter incremen
tum earum bellum temerarium, & ſibi exitio
ſiſſimum ſuſceperit. Midas uerò cum cele-
berrimis diuitijs ſuis adeo tamen pauper fuit,
ut deos ſolicitare non intermiſerit, donec ei in-
dulgerent, ut in aurum uerteretur, quodcun-
que attrectaturus eſſet: quod ſanè ei mortis
etiam non parum immaturæ cauſſa fuit.
Nam ab eo tempore, quo ei indultum fue-
rat á dijs, ut, quodcunque attingeret, in au-
rum mutaretur, famæ ei pereundum erat. Ci
bi enim etiam, quibus ueſci uolebat, eodem
modo, ut reliqua, tacti ab eo auri tam duri-
tiem quam formam acquirebant: ut iam non
haberet, ex quo uitam diutius ſuſtentaret.
Pro eo uerò, quod hic ob peruerſum de libera-
libus artibus iudicium auriculis aſininis tur-
piſſimus factus eſt, tu ſapientiſſime Grimal-
de à doctiſſimis quibusque tanti haberis, ut
nefas eſſe putet tuam amicitiam non certa-

tim

tim ambire. Pro eo etiam, quod alter Halim transiens magnam peruertit opum uim, tibi statua consecrata est tanquam deo cuidam. Quantò uerò tu etiam melior Crasso Quiritium post Syllam ditissimo? Nam de eo scribit Plutarchus apud Romanos omnes constare, quod uirtutes eius, quas plurimas insignes habuit, unius auaritiæ sordibus, & cupiditate habendi inexplebili, qua totum Parthorum esuriuit aurum, obscuratæ fuerint. Quid dicam de moribus facilimis, de pietate in domesticos, benignitate in externos, liberalitate in pauperes, bonitate in ciues, iustitia in omnes? Quid memorem prædia amænissima, & palatia regali munificentia substructa, operibus uel in hac magnificentia Italiæ omnium uirtutum altricis terræ suspiciendis? Sunt alij insignes uiri, atque in urbe præcipuè uestra non inter Italiæ modò, sed totius Europæ urbes antiquissima, omnium uirtutum laudibus excellentes, quibus suus honor, & sua debita laus tribuenda est. Sed tua illa præstans, eximiáq; nobilitas, consociata pari adiunctáq; uirtuti, omnia in te facit maiora, atque illustriora.

Ob

Ob id fere nemo est in tota Italia, & quacunque cœli conuexitas uergit bonus, & studiosus, qui tibi fortunas amplissimas, & in hac uiridi, uenerabiliq; canitie, seram, felicémq; senectam non optet. Ac me quidem de diuinis animi tui dotibus diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem non tam sapientissimi Senatus uestri prudentia, quàm Dei immortalis prouidentia factum esse, ut uiuenti tibi atque spiranti mira omnium consensione statua consecraretur, quô scilicet non conciues modò tui, sed externi quoque homines intelligerent, nihil esse uoluntate benemerendi de ciuibus suis præstantius, & planè deum esse patriæ iuuare patriam, atque hanc ad æternam gloriam uiam existere. Tametsi autem ista nominis tui claritate, tam eximio uitæ splendore, tot suspiciendarum uirtutum magnitudine, &, quod rei caput est, indefessa cùm priuatarum, tum publicarum rerum cura, quam Senator amplissimus, ac integerrimus in patria sustines, deterreri iure poteram, ne te tantum uirum, & tam magnis, difficilibúsq; occupatum rebus intempestiuius

adeam,

adeam: perspecta tamen mihi mira naturæ tuæ lenitas, & rerum plurimarum studium, atque cognitio, in eam opinionem, fiduciámq; adduxere, uti existimem nihil te importunum, aut intẽpestiuum ducere, quod ad naturæ & antiquitatis cognitionem facere intelligeres. Quam opinionem mirum etiam in modum auxere colloqutiones illæ, sermonésq;, quos superioribus proximis diebus, cum in hæc loca relaxãdi animum gratia excurrisses, mecum contulisti, quibus ut uix accuratiores, magísq; decoros cano capiti audisse memini: ita certè quòd ad interiora quædã & recondita spectarent, quæq; in caussæ cognitione uersarentur, semper feci maximi. Quare cùm tu Grimalde splendidissime, tot excellentium uirtutum sis possessor: dubitandum mihi non fuit, quin ea mente, qua eas ipsas uirtutes colis, atque ea fide, qua scripsi, hunc ingenij mei fetum munusculum leuidense, atque officium hoc meum; quo tibi commentarium istum de papyro offerro, suscepturus, approbaturúsq; sis. Etiam atque etiam uale. Ex horto medicinali Patauino Idib Martij Anno à Christo nato M D LXXII.

Errata typographica insigniora sic corriguntor.

Primus numerus indicat paginam, secundus lineam: littera p, significat pro; littera l, lege.

2. 34. p. clarior, l. clariore: 41. 32. p. quia, l. quin: 45. 2. p. eadem, l. cædem: 51. 4. p. τȣ σχεδάζειν, l. τȣ σχεδιάζειν: 52. 25. p. mésq;, l. meísq;: 56. 23. p. uocauit, l. uocarint: 57. 20. p. lapidísq;, l. lapideísq;: 58. 8. p. ecclesiasticæ, l. historiæ ecclesiasticæ: 77. 13. p. Damiatam, l. Damiatâ: 81. 13. p. ὄπισδεν, l. ὄπισθεν: 82. 1. p. concinerit, l. cecinerit: 83. 3. p. Argerij, l. Algerij: eiusdem paginæ linea 24. p. iui, l. iri: 85. 5. p. credi, l. credidit: 87. 23. p. earúmque, l. eorúnq;: 90. 2. p. nullorum, l. mullorum: 91. 4. p. hyostiamum, l. hyoscyamum: 95. 10. p. contractu, l. contactu: 98. 13. p. ἐγκεόμενος, l. ἐγχεόμενος: 105. 28. p. mirandum, l. miraculum: 107. 7. p. dixeret, l. dixêre: eiusdem paginæ linea 17. p. meam, l. mecum: item linea 21. p. hoc, l. hos: 109. 23. p. ulcere, l. ulcera: 113. 19. p. stirpi, l. scirpi: item linea 21. p. stirpo, l. scirpo: 119. 7. p. obtua, l. obtusa: item linea ultima p. simulacro, l. simulatio: 123. 14. p. simile ne, l. simile, ac ne: 130. 2. p. stirpea, l. scirpea: item linea 16. p. κοτίδι, l. κοιτίδι: 134. linea vlt. p. illis, l. illic: 141. 8. p. solísue, l. soleísue: 147. 28. p. vtracunque, l vtrarunque: 150. 8. p. Tæmotica, l. Tæniotica. 152. 20. p. Famiana, l. Fanniana: 156. 4. p. amphithearum, l. amphitheatrum: 160. 10. p. ingenij, l. ingenui: 161. 3. p. amor e. l. amores: 162. lin. ult. p. tamen tum, l. ramentum: 167. 25. p. uirgula, l. uirgulta: 169. lin. antepenul. p. cuius, l. cuiuis: 173. 1. p. aut, l. haud: 175. 29. p. expositione, l. expositionem: 177. 28. p. segminibus, l. sagminibus: 183. 18. p. Nili agglutinatis, l. Nili aqua agglutinatis: 188. 10. p. At, l. Ad: 201. 25. p. quod seu, l. quod seu ius, seu: 202. 12. p. libro, l. libros: 204. 11. expunge, malè: 243. 34. p. eodem, l. eadem: 247. 20. p. χυπρὶȣ, l. κυπρὶȣ: 249. 32. p. rapit, l. capit: 259. 22. & suspicari, dele, &: 265. 26. p. ἆνως, l. ἆναι: 266. 33. p. προσέπερον, l. προσέφερον: & linea 34. p. ὅ καὶ, l. καὶ ὅ: 268. 8. p. castigatiorésq;, l. castigatorésq;.



MELCHIORIS GVILANDINI PAPYRVS,

Hoc est

COMMENTARIVS IN TRIA C PLINII SENIORIS DE PAPYRO capita.



PLINIVS ille, qui opus pulcherrimum naturalis historiæ condidit, cùm animum ad mundanæ descriptionem machinæ appulisset: â mundi definitione exorsus, cuncta quæ mundus comprehendit, tam eleganter libris trigintasex prodidit, vt docti doctissimiq; cognomina doctorum omnium sui temporis iudicio, & posteriorum testimonio consequutus sit. Is cùm peruenisset ad locum de plantis, quibus totius operis dimidium, hoc est libros duo de viginti dicauit: communem hominum impetum sequutus, quo ad peregrina, atque externa maiore studio, curaq;, quàm ad vernacula, quæq; præ foribus habentur, perquirenda, rapimur: speculationem eam ab exoticis, ac alieno terrarum in orbe nascentibus auspicatur. Quandoquidem verò inter eius generis stirpes, haud postremum occupat locum papyrus: auctor ver-

ba de illa facturus, in hunc exorditur modum libro XIII illius naturalis historiæ, capite XI.

MEMBRVM I.

Nondum paluſtria attigimus, nec frutices amnium. Prius tamen quàm digrediamur ab Ægypto & Papyri natura dicetur, cùm chartæ vſu maximè humanitas uitæ conſtet, & memoria.

Commentarius Guilandini.

CVM auctor ſuperioribus aliquot libri huius tertijdecimi capitibus, tum etiam hoc ipſo capite vndecimo, ad quod declarandum aggredior, de varijs, multisq; Ægypto proprijs plantis copiosè diſſeruiſſet: & iam in animo haberet ad Æthiopiæ, Atlantis, atque Africæ ſtirpes tranſire: pollicetur ſe id præſtare velle mox atque ex paluſtribus Ægypti faciem veræ papyri ſuis coloribus, notisq; repræſentarit. Etenim inter cæteras diuiſiones, quæ plantæ accommodantur, haud poſtrema eſt illa, qua collimans in locum, in quo vnaquæque naſcitur, & rerum differentiam accidentalem fortuitamq; inſtituens, ſtirpium alteras terrenas, alteras aquaticas pronunciat. Quam diuiſionem confidenter ſequens Plinius, ait: Nondum paluſtria attigimus, nec frutices amnium. Quanquam autem iſtæc diuiſio infirmior ſit quàm vt planta per eam rectè, vereq; ſecari queat: vtpote quòd non paucæ ſpeciei vnius ſtirpes, quæq; nullo clariore inter ſe diſcrimine diſpa-

ratæ

ratæ visuntur, quàm quo duo eiusdem alitis oua differre cernimus, loco pariter humecto, ac arido feliciter proueniunt: tamen quia maximi quique philosophi eadem diuisione vsi fuerunt: atque ab Aristotele animalibus quoque accommodatam legimus: improbari non debet. Theophrastus libro de Historia plantarum IIII, cap. VII scribit summam differentiam naturæ stirpium, & ad summam, omnium promiscuè vita participantium existimandam, quòd alia terrena sint, alia aquatilia. Verùm enimuero quia in hanc disquisitionem incidi, in qua clarissimos quosque viros non leuiter, nec segniter se exercuisse scio: non iniucundum futurum arbitror studioso lectori (si modò vllus mihi contigerit) nec extra huius loci propositum: si, quid veteres ea de quæstione senserint, quidq; ipse de summa rei statuẽdum putem, indicauero. Aristoteles, & Theophrastus diuini auctores (quorum hodie libri de Plantis auidè ab eruditis leguntur, huius quidem quindecim longè pulcherrimi, doctissimiq;: illius verò duo, olim Arabici ex Græcis facti, rursus ex Arabicis Græci â Maximo nescio quo: propterea quædam in ijs barbara fruticum, & radicum occurrunt nomina: ac demum de Græcis malis Latini ab Hieronymo Gemusæo) gnari doctrinam euidentius tradi solere, cùm per species diuidimus: statim inter initia eius tractationis, stirpium prima, & maxima genera, & in quæ omnia redigãtur, quatuor statuunt: arborem, fruticem, φρύγανον, & herbam. φρύγανον Latinè cremium interpretari licet. Gaza fecit nouam dictionem suffrutex, qua vtitur in sua interpretatione Latina loco Græcæ illius. Ab Aristotele hoc ipsum λάχανον, id est olus appellatum esse sequentes interpretationem Maximi dixerint. Illam diuisionem, vtpote ab eminentissimis viris profectam, sequuti posteriores omnes medici iuxta atque

philoſophi,Dioſcoride,& Galeno exceptis,qui tamen tacito quodam, miroq; idem etiam decretum probarunt conſenſu : plantam ne cogitaſſe quidem aliter diuidere videntur. Sed in quanto ij errore vnà cum Ariſtotele, & Theophraſto verſentur, præterquàm quòd multis argumẽtis euinci poteſt: etiam ex ſolis generum illorum definitionibus clarè pateſcit,quas Theophraſtus non aliter reddidit,quàm ſubiectæ formulę docẽt. Arbor, inquit, eſt quod ab radice, caudice ſimplici, ramoſum disſolutuq; contumax asſurgit, ut olea. Frutex, quod ab radice,caudice multiplici, ramoſumq; ſe attollit, vt rubus. Cremium, quod ab radice lignoſum pullulat,& minutis folijs conſtat,vt ſampſuchum. Herba denique,quod ab radice foliatum,ſine caudice prouenit,ſeménq; caule fert ut triticum. Hactenus Theophraſtus : â quo nec Ariſtoteles disſidet. Ne longius abeam,auerem cognoſcere ex eis,nunquid ſtirpes esſe exiſtiment ſcolopendrion,hæmionitida,filicem vtranque, polypodium,dryopterin,adiantum,trichomanes, phylſitin, epimedium, onoſma, libanotida folio lactucæ, vingum, arachidnam,ceraunium,miſy,tuber, ebenum fosſile,ebur fosſile,& his ſimilia alia multa, quorum nullum nec caudicem,nec caulem promit: quinimmò quędam ne ſuperficiem quidem conſpicuam ſupra terram expellunt, ceu tuber,ebennm foſſile, miſy, ceraunium. At tantùm abeſt Theophraſtum iſtæc plantas esſe negauisſe,ut non paucas etiam de commemoratis retulerit in libros, quos ſtirpium ſpeculationi dicauit. Etſi verò Theophraſtus nunc etiam omnino vellet recantare: ſentẽtiam tamen ſuam mutare nullo iure posſet. Nam quòd vita participant, efficitur necesſariò ad animata referri debere: non ad animalia autem, quia ſenſu carent: ergo ſtirpes vt ſint oportet. Quare fateri coguntur Ariſtoteles, & Theophraſtus, quocunque

denique

denique se vertant, plantam aut malè ab eis diuisam fuisse, aut definitiones generum non rectè assignatas. Omitto quod scholæ logicorum bonæ diuisionis legem esse docent, qua totum non nisi duo in membra dispescere iubemur, quandocunque sine incommodo id fieri possit. Atqui planta duas apte in partes secatur, quemadmodum paullo inferius, cùm meam sententiam promam, clarè explicabo: igitur minus appositè, minusq; concinnè quatuor prima illius genera ab Aristotele, & Theophrasto proposita esse uidentur. Cæterùm Galenus quidem in tertio capite libri aduersus Lycum summa plantarum genera sex recenset: arborem, fruticem, spinam, cremium, herbam, & cedrum: Dioscorides verò in præfatione, ad secundum de materia medica librum hæc quinque habet aromata, arbores, frumenta, olera, herbas. Hos verò tanti non facio, quibus diem dicere debeam, vt mihi criminibus septem, meo arbitratu, respondeant: quando non defunctoriè, sed obiter, ac per transennam illud egisse uidentur: nec singula genera suis limitibus, carceribusq; circumscripsisse. Illud certè iure mirabuntur omnes, Matthæolum in anteloquio suorum in Dioscoridem commentariorum, arrepta Theoprasti plantarum diuisione, tam turpiter mox hallucinari, quàm qui pessimè cremium, herbamque definiuerit. Ecquid enim habet quod mirabili errorum suorum fœcunditati prætexat? An non inter herbarum genera annumerat cremia, quæ Theophrastus principio sexti de historia plantarum libri aperta admodum oratione accedere propius ad genus arborum, & fruticum ait? Quæso legisséne iudicandus est Theophrastum palàm cremijs annumerantem, ferulam, fœniculum, cicutam, quibus non tantùm folia decidunt, sed tota quoque superficies per anni mutatio-

nem

nem deperit, quisquis suffruticum folia non arescere, sed incorrupta uiuacitate omnem aëris inclementiam peruincere, ut Matthæolus, asserit? Qualis autem est definitio illa herbæ, quam tradit ille: cùm per eam, nolit, uelit, fateri conuincatur orobanchen, fungum, tuber, iuncum casſutham, phallum, & stirpes alias multas in herbarum censum nullo modo uenire: quandoquidem nullis omnino folijs exornantur: quædam uerò flore etiam, ac semine carent. Quid uerò porrò? Nonne consequenter etiam tum per hanc, tum per reliquas suas illas definitiones eò adigatur, ut enumerata hæc, & alia eiusdem conditionis etiam omnino ab omni plantarum genere alienissima esse cum magno rubore, & exsibilatione (à qua uel rudissimi pharmacopæi tantam inconuenientiam percipientes sibi temperare non possint) saltem mussitando dicat? Sed Matthæolum ex itinere petitum missum faciamus, cui uel unam illam ob caussam ignoscere debemus, quòd alicubi metipse ingenue profitetur, se commentarios in Dioscoridem suos, in gratiam rudium pharmacopolarum, & id genus hominum indoctorum, non uerò eruditis, & emunctæ naris uiris concinnasse. Quin illud miremur magis, quendam magna existimatione, doctrináq; uirum, cuius nomini parcendum duxi, ne mihi, quod Columella de sinapi cecinit, faciant nasturtia fletum, â quorum nomine ille, Græcè loquentibus, ni unico saltem elemento differt, cùm ab initio Theophrastum sequutus quatuor plantarum genera constituisset, deinceps tam ridiculè, ne dicam imperitè arborem, herbámq; definiuisse, ut in tota stirpium amplitudine, non nisi paucissimæ propositis definitionibus respondere deprehendantur. Arbor, inquit, est, cuius truncus denuo uirescit, vt pyrus. Herba, quæ caule caret, vt aizoum maius, & saluia: uel caulem in singulos annos

mutat, vt fœniculum. Dij boni, quæ iſtæc inſcitia? An ne arbores ſuccisæ nouos progerminant truncos? Atqui rariſſimæ ſunt illæ quidem, quarum radices non emoriantur ſtirpitus, caudicibus ſecuri ſemel ad terram deiectis. An verò exploraturi plantam, num arbor ſit, ramos præſcindemus, & deinde perpendemus, an truncus denuo vireſcat? Hoc certè modo, ſi, præciſis reliquis caudicibus, vnus aliquis colatur, & ſimul alia, quæ ad mangonium hoc requiruntur, peragantur, fruticem in arborem mutabimus: atque ita non fruticum, & arborum diſcrimen ſpeculabimur: ſed arborum genera multiplicabimus. Quæ, malum, licentia, ſaluiam herbis adſcribere, eãdemq; una cum aizoo excaulem facere permiſit? Quo obſecro reponet uir ille lactucam, fabam, hordeum, ſedum noſtras maius, ſedum peregrinum, ſtirpes alias multas, quæ conſpicuos ſuſtinent caules, quos mutari ſiue deponi per anni mutationem, nemo rectè dixerit, quando caulium occaſum, radicum quoque mors ẽ veſtigio conſequitur, vtpote quam in eius generis plantis, non aliunde quàm â radice incipere, norunt quicunq; rerum cauſſas non oſcitanter perquirunt. Sed iam hunc quoq; di mittamus, qui, quòd adhuc ſuperſit, & æthereа ueſcatur aura, non poteſt Planci abſolui ſcommate: Cum mortuis non niſi laruas luctari. Equidem inuitus cenſo rem agere ſoleo: quippe qui alienæ taxatione ſcientiæ (quod noſtri ſæculi homines ſæpe faciunt) famam non aucuper. Nonnunquam tamen, cùm inſtituti ratio expoſcit, auctorum tacitus præteruolare errores nequeo: alioqui maximi peccati reus, ſi eiusmodi diſſimulem la pſus: & illos, quos me ueriora docere conuenit, non præmoneam, ut ſibi cauere ſciant, ne, quando auctores illos legerint, imprudenter ea pro veris arripiant, & cum iſtis in eodem luto hæreant. Definitio herbæ etiã,

quam

quam habet Scaliger in commentarijs, quos ad Aristotelis libros de plantis edidit, reprehensione digna est. Nam inquit: herba est cuius satu exeunt ab radice illico bina folia post ea foliola, quæ ê seminis in ipsa trãsmutati substantia fiunt primùm. Sed orobanchen, vingum, arachidnam, chrysocomen, fungos quosdam, Theophrastus proculdubio herbas esse fateretur; quãuis nullo vnquam tempore folia gestant. Summa summarum qui partitionem plantarum ab Aristotele, & Theophrasto excogitatam sequuntur, non modò non possunt herbam affirmatiua oratione definire, qua quidem etiam reliquas stirpes, quæ non sunt arbores, nec frutices, nec cremia, claudere ualeant: sed neque potis sunt uniuersam plantarum diuersitatem ad quatuor illa genera citra reprehensionem referre. Quamobrem constare ex his iam arbitror plantã â nemine in hunc vsque diem ita diuisam esse, quô vniuersæ stirpium uarietati allatæ differentiæ sufficiant. At verò cùm in rei uniuscuiusque differentijs noscendis artes consistant, quemadmodum Aristoteles, Theophrastus, Galenus, & prçsertim Plato in Philebo prolixius inter ipsa statim libri initia disserit: perspicuum sit plantarum cognitionem planam, & integram hactenus tradidisse, docuisseq; neminem. Quare ut meam tandẽ ea de re melioris, nisi fallor, sententiæ comprehensionẽ, perceptionémq; aperiam, præfandum reor non tam placere mihi inuentum hoc meum, quin, si eruditorum calculum emereri non valeat, illud vt nothum, adulterinum, falsum, mendaxq; proscribere velim. Non mihi adeo ipse blandior, nec sum tam dementis otij, vt deprehensam culpam pertinaciter tueri, ueritatem aspernari, & errori deinceps lingua fauere, uel calamo patrocinari velim. Etsi autem sit non solùm operosum, ac difficile, sed pœnè, quod multi opinantur, ἀδυνάτον, quod fieriq; non potest, plantarum

rum

rum diuiſionem per ea, quæ rei naturam ſequuntur conſtituere: tamen cùm Theophraſtus diuino vir ingenio ſcriptum prodiderit mox in ipſo de plantarum hiſtorijs limine, omnium, quæ in ſtirpium genere ſpectantur, ſimilitudinem petendam eſſe ex ijs, quæ in animalibus inſunt, quoad fieri poſſit: definiuerit verò etiam ibidem partes animalium eas eſſe quæ à principio ortus ad finem vſquæ vitæ animalis conſiſtunt, niſi quid morbo intercidat: putauerim equidem hoc, quod Peripatetici plantã appellant, eleganter, & rectè ad hunc poſſe diuidi modum. Plantarum alteræ ex pluribus partibus neceſſariò ad integram ſui conſtitutionem requiſitis perficiuntur: alteræ vna ſola in parte totam ſuã eſſentiam obtinent. Quemadmodum namque ex animalibus nullum licet inuenire, quod idem non ſit aut ſanguine præditum, aut ſanguinis expers: quorum alterutrum ita animali eſſentiale eſſe conſtat, vt abſque his, nec intellectus quidem poſſit animal aliter concipere: ſic ſtirpium in natura poſitum eſt, pluribus partibus, aut vna ſola, conſiſtere. Cæterum partes ſtirpium, radicem, caudicémque voco: caudicem vero etiam non tantùm quod communiter caudex appellari ſolet, ſed quidquid caudici proportione reſpondet. Nam ſi ramos, fructus, ſemina, folia, flores, & id genus cætera in numero partium collocauerimus: ſequetur, quod ait Theophraſtus eodem, quem proximè indicaui, loco, & partium multitudinem eſſe incertam, & partem nunquam eandem exiſtere. Quapropter ramos plantarum, ſimilitudinẽ obtinere aio cum partibus animalium non propriè nuncupatis, ſed quemadmodum cornua, vngues, dentes, pilos, partium nomine aliquando dignamur. Par de folijs ratio, niſi vbi ea caudicis, vel caulis locum obtinent. Nam quæ ſingulis annis oriuntur, minimè in partium genere collocãda ſunt,

vt neque fructus. Neque enim fætus, partes esse animalium possunt. Deinde ad quem modum Aristoteles animalia sanguinea distinguit differentijs auis, piscis, ceti, quadrupedis, serpentis, struthiocameli, hominis, quæ omnia, & sola sanguinem obtinent: similiter ego plantas, quæ essentiam suam integrè pluribus in partibus sitam habent, diduco arbore, frutice, herba: quas stirpes omnes, nego aliter apprehendi â nobis posse, quàm concepta vnà cum radicibus superficie, quæ est vel caudeX, vel caulis, vel folium, vel aliquid quod his proportione respondet. Denique vti Aristoteles animalia eXsanguia quatuor generibus includit, molli, crustaceo, testaceo, insesto, ad quæ omnia sanguine carentia necessariò reducuntur: pariter ego plantas, quæ essentiam suam vna sola in parte plenè collocatam habent, vno Κυήματος nomine comprehendo omnes, quòd sint ceu fætus quidam vel terræ vterum gerentis, vel aliarum plantarum nouas species in æmulatíonem terræ párere gestientium. Cæterùm Arbor est planta pluribus partibus constans, cuius superficies simplici caudice assurgit, vt morus, olea, fraXinus. FruteX est planta pluribus partibus constans, cuius superficies caudice multiplici assurgit, vt rosa, rubus, paliurus. Herba est planta pluribus partibus constans, cuius superficies sine caudice emergit, quæque superficies nunquam tota nisi commoriente simul radice interit, vt cucurbita, triticum, faba. Cyema denique est planta vna tantùm parte constans. Eius tria genera esse animaduerto. Vnum, quod est toto corpore radiX, & terra semper occulitur, nec vnquam eXtrà conspiciendum se præbet nisi erutum, vt tuber, ceruiboletus, antipathes, ebur fossile, misy, ebenum fossile, ceraunium. Hoc genus habet similitudinem cum animalibus, quæ non nisi effossa, aut tali quadam necessitate coacta cœlo sub

patente

patente aſpici ſolent, quales ſunt in Germaniæ metallis πυρίφρυνοι, id eſt ranæ rubræ, quæ crebrius reperiuntur in Gallijs Toloſæ, in ſaXo arenaceo rubro candidis maculis diſtincto, eX quo molæ fiunt: quocirca id genus ſaXa omnia, priuſquàm molas eX eis faciant, perfringunt: quod ni fecerint, ranæ, vbi cum molæ verſantur, concaluerint, inflari ſolent, &, diſruptis molis, frumenta veneno inficere. Lumbrici etiam intra terram defoſſi latent, nec niſi pluuijs eliciuntur. Spondylis autem vermis altè intra terram demerſus reperiri ſolet, ita circa radices plantarum conuolutus, ut verticilli, quod Græce σπόνδυλον vocant, ſpeciem præ ſe ferat: vnde nomen inuenit. Aſcarides etiam, qui ſunt vermes parui, ſæpius aratro eXcitantur. Quin cochleæ Balearicæ, quas cauaticas vocant, quoniam in ſpeluncis naſcuntur, non prorepunt ê cauis terræ, neque herba viuunt, ſed vuæ modò inter ſe cohærent, teſte Plinio libro VIII, cap. XXXIX. Qui auctor aliud quoque cochlearum genus minus uulgare erui eX Alpibus, nec non & in Veliterno memorat. AleXander Neapolitanus libro V genialium dierum, Cap. IX. In memoria, inquit, mihi eſt, lapidem duri marmoris non vnius coloris vidiſſe in montibus Calabris, longo â mari receſſu, in quo multiplices conchas maris congeſtas, & ſimul concretas cum ipſo marmore, in vnum corpus coaluiſſe videres: quas quidem oſſeas, & non lapideas eſſe, & quales in littoralibus vadis inſpicimus, facilè erat cernere. Quod ſi marmor in fruſta diſſectum reſecaſſes, etiam multiplices conchas ſingulis fruſtis quaſi natiuas conſidere, & cùm lapide vnà diſcindi videres. Hæc ille. Scribit quoque Plutarchus in Iſide, & Oſiride, & conſentit Olympiodorus ad primum Meteororum, Ægyptum olim mare fuiſſe, quandoquidem multa adhuc in fodinis multa in montibus habere

conchilia inuenitur. Sed & Paulus Orosius diluuij, quod Nohæ tempore effusum fuit, argumenta illa esse prodidit, quòd locis quibusdam mõtes longe ab aquis dissiti, & conchis, & ostreis adhuc scatere visuntur. Verùm parùm illustria hæc sunt illuuionis signa. Constat enim conchas, & ostrea non solùm in mari, sed etiã in montibus, & terræ visceribus pro loci natura inter calculos gigni, & si lacus, aquæ'ue copiosiores absint. Quid? An non Aristoteles in libro de Respiratione memoriæ prodidit, inueniri pisces fossiles, qui immobiles intra terram degunt? Quem philosophi locum interpretes sicco alioqui pede pertranseunt, nescientes quæ de his piscibus in litteras retulit Theophrastus, qui in libro περὶ ἰχθύων, tradit in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis terrenos altis scrobibus, in his locis, vbi nullæ restagnant aquæ, quemadmodum eum locum expressit Plinins libro IX, Capite LVII. Idem Theophrastus in Ponti regione apprehendi glacie pisces maximè gobiones, non nisi patinarum calore uitalem motum fatentes. Polybius libro XXXIIII historiarum, citante Athenæo libri octaui principio, narrat in ea planicie, quæ est inter Pyrenæos montes, & Narbonem fluuium, copiosos è terra erui pisces esui suaues. Adhæc Nicolaus ille Damascenus, qui non parcius summa Herodis Iudæorum regis, & Augusti Cæsaris familiaritate, quàm nobilissimorum studiorum gloria, totiúsque philosophiæ cognitione inclaruit, testatum reliquit libro historiarum CIIII belligerante Mithridate tremuisse tellurem circa Apameam Phrygiæ, déq; repentè apparuisse in illa regione stagna, quæ prius non erant: fluuios item quosdam, & fontes ob motum patefactos fuisse, & qui prius erant euanûisse, atq; tantam vnà cum aquis illis salsis piscium, ostreorúmq; copiam prorupisse, vt finitimi loci toti his implerentur.

Qui

Qui profectò pisces, nisi ante quàm detegerentur, sub terra extitissent, haudquaquàm per terræ motum, cœlum sub apertum prorudi potuissent. Quin, si Senecæ libro VI naturalium quæstionum credimus, sub terra sunt stagna obsessa tenebris, & locis amplis. Animalia quoque illis innascuntur, sed tarda, & informia, vt in aëre cæco, pinguique concepta, & in aquis torpentibus facta. Et, vt idem scribit, in Caria circa Idimum vrbem, cùm exsilijsset vnda, periere quicunque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo nouus amnis ostendit. Denique Apuleius in Apologetico primo gloriatur se inuenisse in Getuliæ mediterraneis montibus pisces. Sed hac de re, & de primo cyematis genere, quod multam cum animalibus istis fossilibus affinitatem habet, hactenus dixisse sufficiat. Alterum cyema est, quod tota sui mole tantummodo est superficies, nulla subnixum radice, atque â primo ortu vsque ad vltimum vitæ terminum continenter extra cõspiciendum se præbet, vt viscum, cassutha, epidictamnum, epithymum, epithymbra, epistæbe, hypocistis, Spongia, alga, muscus marinus, malabathrum quale Dioscorides somniat, stratiotes Niliacus, ilæa, agaricum, & multa fungorum genera, quibus nullæ radices subsunt. Hoc genus imaginem præfert eorum animalium, quæ non nisi in altero animali, aut in certa aliqua materia nascuntur, â qua si abacta fuerint, diutius uiuere recusant, vt Crotónes, siue ricini: lati, & rotundi intestinorum vermes: multa pediculorum genera: tineæ chartarum, lignorum, lanarum: vermes qui in feruentissimo Aponi fonte nascuntur: curculiones, midæ, acari, Xylophthori. Non secus nanque atque animalia hæc de natali loco depulsa emoriuntur: sic stirpes illæ adeo sunt natalium suorum amantes, tamq; inexorabili natura præditæ esse videntur, vt omne cultus mango-

nium prorſus reſpuant, atque aſpernentur: nec, ſi ſede de ſua ſemel dimotæ fuerint, denuo affigi, coaleſcere, aut viuere velint. Tertium, & vltimum cyema eſt, quod & ipſum quidem intra terram abſconditur, verùm modò eXtra conſpiciendum ſe præbet, modò non, ſuperficiem viciſſitudine quadam abijciens, atque reponens, vt fœniculum, aſparagus altilis, mandragoras, cepa, thapſia, & in ſumma omnes ſtirpes, quarum ſuperficies interit, iterúmque reſurgit ab iiſdem numero radicibus. Nam quarum plantarum radices vnà cum ſuperficie occidunt, non cyemata illæ ſunt, ſed vel herbæ, vel frutices, vel arbores. Porrò autem tertium hoc cyematis genus magnam gerit ſimilitudinem cum animalibus, quibus cornua decidunt, quæ ſenectam eXuunt, quæ pennas, aut pilos amittunt, vt cerui cornua, ſerpentes ſenectam, aues nidificantes pennas, quadrupedes pilos. Quemadmodum enim cornua, ſenecta, pennæ, pilj, eò quôd decidunt, animalium partes non ſunt, ſed eXcrementa: ſic vniuerſa horum cyematum ſuperficies, cúm quotannis de nouo reſurgat, non in partium, ſed in eXcrementorum claſſem redigi poſtulat. Nam pars, vti ſupra eX Theophraſto docui, quoniam ſuæ naturæ ratione conſiſtit, perpetuò durare uidetur, aut ſimplici, abſolutáque ratione, aut poſtquam confecta fuit, vt ſcilicet animalium partes, quæ ſerius perficiuntur, niſi quid morbo, aut ſenecta, aut læſione perdatur. EX quibus, neminem eſſe arbitror, qui non intelligat, ſiquidem in plantis nonnulla ita ſe habent, vt annua, menſtrua, diurna duntaXat potiantur natura, fieri non poſſe, vt inter partes ritè reponi queant, atque ideo plantam rectè â me diuiſam eſſe, quãdo dicebam quaſdam eſſentiã ſuam perfectè obtinere in pluribus partibus neceſſariò ad earum conſtitutionem requiſitis: quaſdam vna tantùm in parte vniuerſam natu

ræ ſuæ

ræ ſuæ perfectionem ſuſtinere,ac plenê tueri, defendereque. Reliquæ plantarum diuiſiones,quæ afferri ſolent per vrbanum, & ſylueſtre: ſpinoſum, & non ſpinoſum: ſterile, & fœcundum: ἀείφυλλον, & φυλλοβόλον: pérque eius generis diſcrimina alia multa, omnes malæ ſunt, & ineruditæ, vtpote ad quas neceſſariò conſequitur,vt vna, eadémque ſtirpis ſpecies in oppoſitis contineatur differentijs. Verùm hac diſquiſitione in commodiorem locum reiecta, redeo poſtliminio ad Plinium, qui ait ſe ideo de Papyro diligentius uelle ſcribere,quòd chartæ vſu maXimè humanitas vitæ conſtet, & memoria. Neque enim ad bella, cædésq; naſcimur, quæ belluas, non homines decent, ſed ad pacem,& tranquillitatem, quibus cœleſtium deorum felicitatem æmulamur: quæ tranquillitas tunc maXimè ſolet vigere,ínque tuto conſtituta eſſe creditur, quando leges, plebiſcita, ſenatuſconſulta, decreta principum, reſponſa prudentum, teſtamenta morientium, codicilli, & id genus cætera, quæ chartæ vſu conſtant, ius ſuum,locúmque integrè obtinent. Quo reſpeXiſſe auctorem, non obſcurè coarguunt verba illa, quibus totam hanc de Papyro tractationem concludit: Factúmque iam, inquit, Tiberio principe inopia chartæ, vt ê Senatu darentur arbitri diſpenſandi, aliàs in tumultu vita erat. Vel diXit chartæ uſu maXimè humanitatem vitæ conſtare, & memoriam, propter libros,in quos præcepta benè viuendi, res geſtas, artes plurimas, præclaras animi noſtri meditationes, & multa alia nomine nunquam interituro, immortalitérque deſcribimus, ac præſertim propter officium, quod abſentibus, & longo â nobis interuallo diſſitis per litteras præſtamus. Quo vt viX aliud dignum magis homine eſſe poteſt: ita certè barbaræ gentes, cùm nullum litterarum vſum habeant, nec abſentibus chartæ bene

ficio

ficio desideria sua aperire valeant, meritò non in homi nũ censu, sed belluarũ verius reponendi esse videãtur.

MEMBRVM II.

Et hanc Alexandri Magni victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægipto Alexandria. Ante non fuisse chartarum vsum.

Commentarius Guilandini.

NEminem esse arbitror, quantumuis leuiter in optĩ morum lectione auctorum versatum, qui nesciat quantis clarissimi quique scriptores M. Varronem laudibus vehant, quem etiam uiuentem, cùm multum valet inuidia, doctissimum omnium togatorum appellauerunt; & cuius vnius viuentis posita imago est in bibliotheca, quæ, vt Plinius libro VII naturalis historiæ, cap. XXX refert, prima in orbe ab Asinio Pollione de manubijs publicata Romæ est: haud minore (vt equidem reor) gloria, principe oratore, & ciue, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, vni hanc coronam dante, quam eidem luculentissimo testimonio confirmauit Cicero, quando in libris Academicis dicit, eam, quæ ibi versatur, disputationem, se habuisse cum M. Varrone, homine omnium facilè acutissimo, & sine ulla dubitatione doctissimo. Et in primo earum quæstionum libro, cùm eiusdem Varronis litteraria opera prædicaret: Nos, inquit, in nostra urbe peregrinantes, errantésque tanquam hospites, tui libri

quasi

quaſi domum reduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui, & vbi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu publicam diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarùmque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti. Vt minus mirari ſoleam Diuum Auguſtinum ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen in ſexto de ciuitate Dei libro crebris, & magnificentiſſimis elogijs eundem Varronem ſupra omnes eruditione claros extollere, quem etiam tam multa legiſſe ait, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe mirandum ſit: tam multa ſcripſiſſe, quàm multa uix quemquam legere potuiſſe credere debeamus. Attamen iſte vir tam inſigni, excellentíque doctrina, atque tam varia, ac multiplici lectione, & quod de illo etiam Terentianus Carthaginenſis in capite de Phalecijs carminibus elegantiſſimo uerſiculo breuiter cecinit. Vir doctiſſimus vndecunque Varro: iſte inquam vir tantus ingenio, tantúsque doctrina deceptus eſt, & planè falſum in litteras retulit, quando chartam Alexandri Magni victoria primùm repertam fuiſſe ſcripſit. Ad quod oſtendendum, vtar partim non leuibus coniecturis, partim argumentis Plinij, cui iam olim iſtam Varronis aſſertionem diſplicuiſſe palàm eſt. Qui Latinarum litterarum cognitione non contenti, eiſdem Græcæ facundiæ peritiam coniunxere, quod ab eruditiſſimis nunquam non factitatum eſſe claret, haud ignorant, quos Latinè libros, ſiue codices, ſeu volumina appellamus, notiſſimo in Græcia nomine βίβλους, & diminuẽdi formula βιβλία, βιβλίδια, βιβλίδρια, βιβλάρια, βιβλαρίδια, & βιβλιδάρια paſſim ab omnibus nuncupari. Eunapius in vitis Philoſophorum ridens Iuriſconſultorum ſtudia, refert Æmelium ſolitum fuiſſe dicere, βιβλίδια eorum hominum, multorum camelorum iuſtum onus eſ-

ſe poſſe. Quod vocabulum legitur etiam apud Galenum in exordio commentariorum in ſecundum librū Hippocratis de natura humana. Iohannes in Apocalypſe, cap.X ſcribit vidiſſe ſe angelum fortem deſcendentem de cælo, amictum nube, & habentem in manu βιβλαρίδιον apertum, quam mox dictionem ter eo loco repetit. Diogenes Laërtius lib.VIII exiſtimat Empedoclem circa quartam & octogeſimam Olympiadem floruiſſe: tametſi, inquit, Democritus Trœzenius ἐν τῷ κατὰ σοφιστῶν βιβλίῳ Homero contemporaneum facit. Athenæus quoque libro I δειπνοσοφιστῶν in maxima Larenſij laude ponit, quòd tantùm ueterū ἑλληνικῶν βιβλίων numerum coaceruaſſet, vt nullus cōſideratione dignus liber ei deeſſe videretur. Dauid quemadmodum Septuaginta reddiderūt Pſalmo CXXXVIII: καὶ ἐπὶ τὸ βιβλίον σου πάντες γραφήσονται: id eſt, Et in libro tuo omnes ſcribentur. Rurſus Exodi XXXII: Et reſpondit Dominus Moyſi: Qui peccauerit mihi, delebo eum ἐκ τῆς βίβλου μου, de libro meo. Et Eſaias XXXIIII deſcribens afflictionem omnium gentium: καὶ ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον, καὶ πάντα τὰ ἄστρα πεσεῖται ὡς φύλλα ἐξ ἀμπέλου: id eſt, Complicabitur cælum vt liber, & omnia aſtra decident ut folia ex vite. Apud Galenum profectò tam ſæpe vocabula iſta pro libro, ſeu codice poſita inueniuntur, vt pigeat locos adſcribere, niſi ardens multorum deſiderium vnum atque alterum mihi extorſiſſet, qui ſunt ſecundo in tertium Epidemiorum ſeptimo, & libro primo de alimentorum facultatibus eiuſdem numeri capite, & in præfatione commentariorum in Hippocratis librum, qui de officina medici inſcribitur. Photius quinetiam memorat Cteſiæ Perſica ἐν βιβλίοις viginti cōtineri: Indica verò ἐν ἑνὶ βιβλίῳ. Cur verò libri Græcis ita vocati ſint, cauſſam reddit, vt alij quoque multi, Euſtathius,

ſtathius, qui in commentarijs ad ſextam Iliadis rhapſodiam, annotat βίϐλον, ἢ βιϐλίον, nomen accepiſſe ἀπὸ τοῦ φυτοῦ τῆς βίϐλου, hoc eſt â planta biblo, dici biblos, & biblia. Quemadmodum enim â teſtudine, quæ Græcis χελώνη dicitur, χέλυς appellatur omnis cythara, lyráue, quam Mercurius omnium primus ex teſtudine feciſſe narratur: ſic ἀπὸ τοῦ βίϐλου, antiqua quadam conſuetudine omnes libri vocati fuerunt βίϐλοι, ſiue βιϐλία; non aliter quàm Latini â libro, id eſt cortice libros: & â codice, id eſt trunco codices dixerunt, Quanquam autem grauis, & plus quàm cenſoria hominum illorum virgula, qui ſtudia ſua auſpicantur â πέντε κατάραις, præcipit vt ſcribamus βύϐλον, διὰ τοῦ ῦ ψιλοῦ, quando ſtirpem, librúmue non ſcriptum ſignificat: quia tamen vſus obtinuit, vt διὰ τοῦ ἰῶτα ſcriberetur non â recentioribus modò, verùm etiam â priſcæ ætatis mortalibus, vti impreſſi codices perhibent, nemo mihi imputandum exiſtimabit, ſi διὰ τοῦ ἰῶτα, nullo diſcrimine ſcriptum â me vbique inueniet. Eſt autem Biblus, eodem Euſtathio auctore, in ijs quæ ad vigeſimamprimam Odyſſeæ rhapſodiam concinnauit, planta duplex: altera Papyrus Ægyptia: altera ei affinis, & ſimilima. De vtraque vberius agam mox atque ad Papyri deſcriptionem ventum fuerit. Nunc ſi idoneis, conuenientibúsq; auctorum teſtimonijs oſtendero, Papyri ſtirpem, nomen, & vſum multò ante, quàm Alexander Ægypto potiretur, Græcis innotuiſſe: nec non dictiones βίϐλον, καὶ βιϐλίον, in nota ſignificatione apud Alexandro priores, aut ſaltem natu maiores inueniri: an non Varronis ſententiam prorſus euertero, quæ chartarum vſum non ante conditam in Ægypto ab Alexandro de ſuo nomine vrbẽ cæpiſſe pro conſtanti habet? Eſſe ex antiquiſsimis Anacreontem lyricorum carminum ſcriptorem longè

ſuauiſſimum, ſatis liquet teſtimonio Herodoti, & Platonis, qui in Phędro eum σοφȣ̃ etiam appellatione dignatus eſt, inq; Hipparcho tanto in honore â filio Piſiſtrati Hipparcho habitum ſcribit, vt miſſa quinquaginta remorum naue, eum Athenas euocaret. Hic de ſe ipſo loquens, in hæc verba infit:

Ἐπὶ Μυρσίναις τερέναις,
Ἐπὶ λωτίναις τε ποίαις
Στορέσας θέλω προπίνειν.
Ὁ δ᾽ ἔρως χιτῶνα δήσας
Ὑπὲρ αὐχένας παπύρῳ,
Μέθυ μοι διακονείτω: id eſt, ut vir doctiſſimus Henricus Stephanus reddidit:

Teneris ſuperq; myrtis,
Super & virente loto
Recubans, bibam libenter:
Religatus at papyro
Tunicam Cupido collo,
Mihi poculum miniſtret.

Alcæus verò Anacreonte vetuſtior, quique eodem cum Sapphus tempore carmina ſua decantauit: &, quemadmodum Euſebius annotat, regnante Tarquinio Priſco V Romanorum rege vixit, hoc diſtichon poſt ſe memorandum reliquit, quod Suidas duobus locis, altero deprauato, altero integro, omiſſo vtrobique poëtæ nomine, repetit.

Λαμπάδα κηροχίτωνα, κρόνȣ τυφήρεα λύχνον,
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγομένην παπύρῳ:

id eſt, facem ceream, Saturni ardentem lychnum, iunco, ac tenui conſtrictam papyro. Ex quibus poëtæ verbis colligitur etiam ellychnia antiquiſsimis temporibus non ſolùm ex papyro fieri conſueuiſſe, verùm ratio quoque ſe ingerit, cur Italia hoc tempore ellychnium ſoleat vocare paperum. Poſt Alcæum ſunt, quanquam

quam omnes Platone philoſopho antiquiores, Plato Comicus, cuius illud eſt; τὰ γραμματεῖα τοὺς τε χάρτας ἐκφέρων: Ariſtomenes antiquæ comœdiæ ſcriptor, qui in Luctibus nominat βιβλιοπώλην: Cratinus & ipſe antiquæ comœdiæ poëta, qui in Chironibus βιβλιόγραφον: Antiphanes mediæ comœdiæ ſcriptor, qui in Mylone βιβλιδίου κόλλημα: ac denique Ariſtophanes, ad quem pertinet βιβλιδάριον. Cæterùm Plato philoſophus in Protagora cùm uellet perſpicuum facere, Virtutem doceri poſſe, Socratem hac vtentem oratione inducit. Gratiam habeo tibi fili Apollodori, quòd inuitaſti me, vt huc venirem. Multi enim facio ea, quæ audiui ex Protagora. Ego namque ante hoc tempus humanam diligentiam eſſe non putaui, qua viri boni efficerentur. Nunc autem credo. Exiguum tamen quiddam impedimento eſt mihi, quod ſcilicet Protagoras facilè edocebit, quandoquidem & multa hæc edocuit. Etenim ſi quis de his ipſis cum aliquo forenſium oratorum agat, fortè tales ſermones audiet, quales Periclis eſſe ſolent, cæterorúmque eloquentium hominum. Si verò quis inſuper aliquid ex aliquo percunctetur ὥσπερ βιβλία, velut libri codicéſue non ſcripti, neque quod reſpondeant habent, neque quod ipſi interrogent. Rurſus in Politico, ſiue de regno artis quoque, quæ chartam conficiebat, meminiſſe uidetur ijs verbis: Aurum, & argentum, & omnia metalla, & vniuerſa, quæ ars cædendi, ac tondendi ſiluas reſecta exhibet, arti fabrilj lignariæ, & ei quæ contexit, & inſuper ei quæ corticibus vtitur, & quæ de ſtirpibus, ac animalibus pelles detrahit coriaria, & quæ circa talia artes uerſantur: & quæ ſuber, & βίβλον, id eſt Chartam, ac vincula præparant, ac exhibent, vt ex non compoſitis generibus compoſitæ ſpecies fiant: vniuerſum hoc appellamus primogenitam hominibus poſ-

ſeſ-

ſeſſionem, & ſimplicem, quod regiæ artis nequaquam eſt opus. Hactenus Plato. Quid? Annon Æſchylus, qui regnante Xerxe commentatus eſt, biblum illo in Supplicibus verſiculo inter notiſſima retulit? βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν: id eſt, bibli fructus non ſuſtinent ſpicam magnam. Quem prouerbialem ſenarium annotat Suidas dici ſolitum de ijs, qui ſuis ipſorũ bonis vti neſciunt. Si enim quiſpiam ſit & virtutis cognitione, & totius philoſophiæ notitia egregiè inſtructus: neque tamen ſucceſſus minus proſperos conſtanter tolleret, ſed animum deſpondeat, planéque ſuccumbat, in eum aptè quadrabit, Bibli fructus non ſuſtinet ſpicam magnam. Similiter dicemus de eo, qui, cùm opibus largè abundet, tamen liberalitate modica, aut fermè nulla utitur. Non quidem propter cauſſam, quã Suidas attulit, quaſi biblus ob naturalẽ imbecillitatẽ, magnum, & copioſum fructum ferre nequeat, cùm etiã nullum penitus gignat: ſed quia par erat â vaſtis radicibus, & decem cubitos longis, adhæc â calamis quadricubitalibus, ut in deſcriptione Papyri dicetur, ſpicam quoque proceram, & copioſo ſemine onuſtam produci. Cuius contrarium biblo accidit, quippe quę στάχυν propriè dictam non geſtat, ſed magis χαίτην, id eſt ſetam, ſiue iubam vt ait Strabo libro geographiæ XVII, &, ut Theophraſtus libro IIII de hiſtoria plantarum κόμην ἀσθενῆ καὶ ἀχρεῖαν, comam imbecillam, & nullius uſui producit. Sed quo te Stagirita Ariſtoteles piaculo taceam? Tu namque ætate Alexandro diſcipulo tuo grandior, cui etiam prima philoſophiæ rudimenta inſtillaſſe diceris, βιβλίων non vno tantùm in loco, ſed pluribus, conſpicuam, & maximè illuſtrem mentionem feciſſe deprehenderis. Etenim libro VIII primæ philoſophiæ, qui Græcis eſt ſeptimus, cap. II cùm philoſophus de primis ſubſtantia

libu

libus differentijs agere proposuisset, inuectus obiter in Democritum, qui tria tantummodo discrimina statuerat: Videntur (inquit) autem multæ differentiæ esse: vtputa quædam compositione dicuntur materiæ, sicuti quæcunq; mistura, quemadmodum melicratum: quædam clauo, vt arca: quædam ligamine, vt fascis: quædam glutine, οἷον βιβλίον. Et in Problematis sectione sextadecima tale quiddam discutiẽdum proponit: Διὰ τί τῶν βιβλίων ἡ τομὴ ἴσα ἐπίπεδος καὶ εὐθεῖα, ἐὰν μέν τις τέμῃ παρὰ τὴν βάσιν, γίνεται εὐθεῖα ἀνακλιτομένη, ἐὰν δὲ ἐγκλίνας, σκολιά; Verùm quia problema hoc paulò obscurius est, quàm vt quidam nec aure Bæota, nec illepidi id intelligere possint: præterquam quòd veteri quoque interpreti, & expositori Petro Aponensi magnum prorsus negotium fecisse agnoscitur, qui ambo multò plus quàm diametro ab Aristotelis sententia distant: ideo vt gratum faciam multis, & loco alioqui tenebricosissimo faces pro virili inferam, quem illud sensum constituat, currendo indicabo. Quærit philosophus, Cur libellorum seu litterarum in cylindri figuram conuolutarum (prisci namque homines solebant suos libellos ad cylindri similitudinem conuoluere, vnde Volumina dicta, quemadmodum Turcæ etiamnum faciunt, non autem in tabulas siue laminas, vti nostri est moris, componere) cæsura, quæ & recta sit, & plana superficie, si libellus ille denuo cædatur ad basim, hoc est ad rectæ illius cæsuræ, & planæ superficiei æqualitatis normam, cæsura posterior pariter recta esse apparet euoluto libello: at si â basi aberratum fuerit, obtorta? Theodorus pro βιβλίων legisse videtur βίβλων, supposito Papyri pro Libelli nomine. Verùm problema nullo modo debet adstringi ad unã Papyri stirpem, uel ad eius solius chartas, siquidem pertinet ad omnem promiscuè materiam, quæ instar li-

belli

belli antiquorum conuoluta ſit. Quod enodatio quoque eius plenè demonſtrat, quæ talis ab Ariſtotele redditur, quemadmodum Gaza in Latinum tranſtulit. An euenit, vt, cum orbes ſecturæ alterius eodem in plano poſiti ſint, declinans illa cæſura non æquè oppoſita ſit, ſed partim plus diſtet, partim minus. Itaque cùm euolueris, orbes quidem, qui plano eodem continentur, ſuúmque initium in plano habent eodem, lineam explicabunt, quam ſuo ipſi conficiunt orbe: quippe cùm ea ipſa extenta linea non niſi profecta ex orbibus ſit, qui plano eodem continentur. Itaque uel rectam eam quoque eſſe neceſſe eſt, quæ eodem in plano ſe porrigat. At obliquæ illius ſecturæ linea, quoniam primæ non æquè oppoſita eſt, ſed partim plus diſtans, partim minus, utpote cum ipſa quoque ſectura ita ſe habeat, hinc eodem eſſe in plano nequit. Itaque nec recta hæc eſſe poteſt: etenim fieri non poteſt, vt rectæ lineæ pars alia in alio plano collocetur. Rurſus verò idem auctor libro V de hiſtoria animalium, cap. XXXII agens de varijs tinearum generibus, & cæteris id genus animalibus ex putri naſcentibus: Tum, inquit, in cera uetuſta, vt in ligno, animal gignitur candidum, quod omnium animalium eſſe minimum exiſtimatur, nomine Acari: nec non alia ἐν τοῖς βιβλίοις aut ijs proxima, quæ in veſtibus, aut ſcorpioni, ſed ſine cauda gignuntur. Vt nulli iure dubium amplius eſſe debeat biblum ſiue papyrum, &, quæ ex ea parabantur, chartas, multò ante Alexandri uictoriam in frequenti mortalium uſu fuiſſe, quando & Theophraſtus, cui Alexandrum uiſum eſſe non dubito, quarto de hiſtoria plantarum libro, cap. IX. βιβλία, quibus externi homines vtebantur, non aliunde quàm ex papyro conſtitiſſe, clara admodum aſſertione ſcriptum reliquit. Sed video quid ſagaci uir ingenio pro Varrone obijcere poſſit,

non-

nondum ſcilicet abunde ſatis demonſtratum uideri, βίβλον plantam, â qua βιβλία dicta fuerunt, eandem eſſe ſtirpem cum ea, quam Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius, & alij Papyrum appellauerunt. Quam interpellationem & ſi tanti faciendam non puto, ut magno molimine, conatúque ei obuiam ire debeam: tamen ne hac quoque parte dormitaſſe cuiquam uidear, atque ut legenti omnem ſcrupum excutiam, dabo operam ne eius tergiuerſationis robore, quod nullum habet, ulla ueritati iniuria, deceſſióue fieri queat. Non vtar autem impræſentiarum illo deſperatiſſimo perfugio, quo multi, cùm urgentur, ſeſe recipiũt. quòd chartas ex ulla alia planta quàm papyro Ægyptia confici ſolere nuſquam legamus: quòd uocabulum papyrus, non conueniat niſi papyro Ægyptiæ, & ſtirpi, quam uocari â Theophraſto Sari docebo: ac denique quòd biblus, cùm rei per naturam productę nomen eſt, vnam papyrum Ægyptiam, & præterea vnũ ſari ſignificet. Sed, ex collatis auctorum inter ſe teſtimonijs, quid antiquiſſimi de biblo prodiderint, & quid de eadem, itémq; de papyro poſteriores in litteras retulerint, clarum, perſpicuúmq; faciam, biblum, de qua priſcæ ætatis homines ante Alexandri Magni uictoriã meminerunt, eandem penitus plantam eſſe cum biblo, atque papyro, ex qua chartæ fiebãt poſterius genitorum. Herodotus libro II, qui Euterpe inſcribitur, non quidem ueritate hiſtoriæ commendabilis auctor, ſed tamen in bibli expoſitione prodenda longè ueraciſſimus, narrat compingi ab Ægyptijs nauigia ex ligno acanthi, & quia curuatis in arcus lignis non vtantur, compages earum nauium introrſum biblo connecti. Malo quoque acanthino, & velis ex biblo uti. Addit bibli partem ſuperiorem Ægyptios amputare, quam ad compages nauium faciendas, ad uela texenda, cal-

ceos, & alia id genus utensilia conuertant, quódque re liquum est inferius, longitudine cubitali, id edere pariter, ac uenundare. Quæ omnia uidisse se, nouisse, & interrogasse ait. Quibus si conferantur, quæ de papyro scribuntur â Theophrasto eodem loco, quem postremò citaui, apertum fiet biblum, & papyrum, nomina quidem esse duo, rem uerò unam tantùm, eandémque. Papyrus, inquit, ad plurima utilis est. Etenim ex eo nauigia faciunt, & ê libro uela, tegetésque texunt, & uestem quandam, atque stragula, ac funes, aliaque plura: & quidem externis hominibus chartæ euidentissimæ habentur: sed summam, frequentissimámque opem in re cibaria præstat. Omnes enim incolæ, & crudum, & elixum, & assum manducant, & succum deuorant: manducamentum autem exspuunt. Quæ omnia confirmat Plinius, cuius uerba in hunc locum transcribere operæpretiũ esse nõ puto, quòd mihi declaranda sint, cùm ad quintum susceptæ tractationis membrum peruenero. Illud obiter notauerim, ex adscriptis â me auctorum verbis illustrari carmen Lucani in tertio de bello ciuili, cùm inquit:

Nondum flumineas Memphys contexere biblos
Nouerat.

Flumineam vocat biblum, quòd papyrus non nisi humecto, atque aquoso loco proueniat. Cæterùm Strabo libro ultimo, βίβλος, inquit, nuda virga est, comam in summo habens. Nascitur in inferioribus Ægypti Delta partibus permulta, alia quidem deterior, alia melior, quæ Hieratica appellatur, Quibus uerbis denotari papyrum Ægyptiam, ut nemo est, qui iure negare possit, sic certe tergiuersator partim per ea, quæ hucusque â me dicta fuere, partim per ea, quæ adhuc dicenda supersunt, apertè reuincitur. Quare, vt vela

tandem colligam, & diſputationi huic de inuentione papyri, ſiue chartarum finem imponam: arbitror equidem Varronem vel unius Herodoti auctoritate, qui, quos Latinè libros, codicéſue nuncupamus, Græcè βίβλους, & βιβλία appellat, abunde redargui, quando papyrum, chartámue ante Alexandri Magni uictoriam fuiſſe ignotam contendit. Fortaſſe enim Varro decedendum ſibi â ſententia ad Galeni atteſtationem haud putaret, qui ſecundo in ſextum Epidemiorum decimotertio perhibet Theſſalum Hippocratis filium pleraque parentis ſcripta in diuerſis ἢ χάρταις ἢ δέλτοις, id eſt, uel chartis, uel tabulis collegiſſe. Verùm enimueró ſi ne Homerum quidem, & Heſiodum antiquiſſimos Græciæ uates, quos Herodotus extitiſſe quadringentis non minus annis ante ſe dicit, ignoraſſe papyrum profiteri audeam? Etiámne Varro arreptam ſemel ſententiam tuebitur? Equidem ita ſentio, eum, qui βίβλινα ὅπλα diuino Odyſſeæ poëmati inſeruit, neſciuiſſe βίβλον, uerè dici non poſſe, etiamſi Euſtathius in eius loci expoſitione apertè neget eſſe intelligendam biblum, quæ ſit papyrus Ægyptia, ſed magis plantam ei ſimilem. Qua in re vehementer equidem uereor, ne Euſtathius fucum nobis facere uoluerit, ſeque ipſum planè deceperit, quippe qui commentum iſtud minimè excogitaſſet, niſi in eodem cum Varrone luto hæſiſſet, papyri uſum non ante Alexandri uictoriam orbi terrarum innotuiſſe. Quod ſi ſenſit, quemadmodum apparet, uis argumentorum, atque oratio, qua hucuſque uſus ſum, æquè aduerſum illum atque Varronem pertinet, quandoquidem ſi ſtricto cum illo iure agere uelim, docere non poſsit biblum alterius generis ſtirpem quàm unam papyrum Ægyptiam denotare, quantumuis moroſius omnes Græciæ theſauros excutiat. Sed ut demus etiam Euſtathio, biblum dici non unam papyrum Ægyptiam,

uerùm etiam congenerem, atque affinem ei ſtirpem (quod equidem gratis fateor, nullo ad hoc aſſerendum grauioris teli robore compulſus quàm quòd ita eſſe ſuſpicor) non tamen proinde efficitur, nec Euſtathius uelit, libros, qui βίβλοι, & βιβλία nuncupantur, non à biblo, quæ eſt papyrus Ægyptia, ſed à ſimili ei planta denominationem accepiſſe, ob rationes quas expoſui. Ego ſanè animaduertere nequeo, cur βίβλινα ὅπλα, non à biblo potius, quàm à pſeudobiblo nomen ſortita exiſtimari debeant, præſertim cum biblum, hoc eſt papyrum Ægyptiam multò ante Alexandri natalem in notitia, uſúque mortalium fuiſſe, tam perſpicuum hactenus feciſſe uideri poſſim, ut inanem ſim operam ſubiturus recenſendis Plinij argumentis, quæ adhuc ſuperſunt grauiſſima ad eandem Varronis aſſeuerationem funditus tollendam, refellẽdámque. A quorum argumentorum commemoratione abſtinendum mihi eſſe arbitror, ne cùm ad eum locum deuenero, inani eiuſdem rei repetitione actum agere cogar.

Si uero iſti omnino tamen adhuc vrgeant, & dicant: pſeudobiblum ante notitiam, & uſum bibli illius, quæ ex uictoria Alexandri magni innotuit, biblum uocatam eſſe: poſtquam autem uſus bibli Alexandrinæ ad omnia illuſtrior, & magnificentior inualuit: iam homines, ne rem celeberrimi vſus pluribus uerbis deſignare cogerentur, maluiſſe rem multiplicis uſus, non tantùm in communi uita, ſed ea de cauſſa etiam in ſermone una ſolùm uoce appellare: priorem autem biblum, ſi adhuc alicuius erat uſus, rarioris tamen, pluribus, vel ſaltem diuerſo uocabulo ſignificare: Hinc eſſe, quòd ante Alexandrum Ægyptus quidem propter biblum celebris fuerit: ſed ex victoria Alexandri, propter inuentionem auguſtioris uſus bibli, multò etiam ſit celebrior. Adeóque & ante Alexandrum magnum, & poſt

eundem

eũdem homines celebrasse quidẽ biblum Ægyptiam: sed aliam biblum ante, aliam post intellexisse. Siquidem sanè tãtopere instant: admodum uelim, ut isti etiã indicent auctores istarum suarum narrationum, vel argumenta, ex quibus ea colligi possint, vel saltem qualescunque coniecturas, quæ non sint omnino uanæ. Nam non est satis comminisci eiusmodi excusationes: uerùm easdem etiam probabiles facere decet, uel per fide dignos auctores, uel per argumenta alicuius momenti, uel per coniecturas ueritati cõsonas. Postquam uerò etiam tale quid præstiterint: solum Eustathium defendisse se intelligent: Varronem autem nullo modo. Nam, si ex biblo illa minoris usus etiam sunt libri facti, qui celeberrimæ ciuitati occasionem nominis dare potuerunt: quare Varro huius etiam nõ meminit, vbi enumerat ea, quæ ante chartam Alexandri magni victoria repertam ad eosdem usus adhibita sunt? Numerátne Varro quidquam præter palmarum folia, arborũ quarundam libros, uolumina plumbea, lintea, ceras? Horum equidẽ nullum est biblus illa minoris vsus, vel charta ex ea confecta. Quæso autem, an non Hesiodi tempore exstabat Byblus, Phæniciæ ciuitas? At cuius est carmen istud?

βύβλον τ᾽ ἀγχίαλον, καὶ σιδῶν᾽ ἀνθεμόεσσαν: id est, Byblum litoralẽ, & Sidonem floridã. Equidẽ Byblus ista multò est Codro antiquior, quippe quam Saturnus omniũ Deorum pater, quo nemo est ueterior, fundasse scribitur. Nomen uerò adepta fuit à Biblo, hoc est papyro Ægyptia, quandoquidem βιβλία, qui sunt libri chartacei, déq; biblo consuti, nullum in ea urbe repositi corruptionis uitium vnquam sentirent, quemadmodum prodiderũt Stephanus, & magnum etymologicũ. I nunc, & papyrum non ante Alexandri Magni victoriã in vsu fuisse contende. Præterea idem poëta libro secundo

cundo ἔργων καὶ ἡμερῶν, iubet qua hora dies æstate maximè calere solet, quærendos esse locos cauernosos, umbrosos atque saxosos, & bibendum οἶνον βίβλινον. Quod vinum celebrat etiã Achæus Tragicus, & Theochritus Idyllio XIV, vterque Syracusanus. Tzetzus autem elegantissimus Hesiodi interpres, ait esse tenue, aquosúmque, & nomen accepisse à Byblo ciuitate Libano monti proxima, siquidem constet eius loci incolas ferè hydropotas esse. Sed enim quia quæ ego in litteris comperi, nolo arcana esse: non præteribo quæ de isto uini genere annotauit Eustathius in Iliade ἄλφα, qui cognominatum putat ob Biblinam Thraciæ regionem, quod Stephano quoque placere video, quando Armenidas, citante Athenæo libro primo, dicit Biblinam esse Thraciæ regionem, postea Oesymam appellatam. Suidas tum à Byblo ciuitate, tum à Biblia uitis genere dictum putat, à qua sententia nec Tzetzus, nec Theocriti scoliographus abhorret. Epicharmus à montibus Biblinis Thraciæ, in quibus nascitur. Simus in sextam Iliadis rhapsodiam, itémque Demus Delius à Biblo fluuio Naxi insulæ. Athenæus simpliciter à loco ita nominato. Hippias Rheginus uitem, quæ Ileus uocatur, Bibliam dici ait, quam Pollis Argiuus Sicyonum Tyrannus primùm in Siciliam asportauit, vnde Biblinum uinum Siculi Pollium nuncupent. Quid si Biblinum uinum sit Ægyptium? Nam biblus, quæ papyrus est, nusquam copiosius quàm in Ægypto pullulat, & vinum, quod illic prouenit, prorsus impotens, tenue, atque aquosum existit. Cuius rei caussam scitè reddit Alexander circa principium libri secundi problematum, quærens cur in Ægypto, quæ calidissima est regio, uinum fieri frigidum soleat: contra in Scythia, quæ frigidissima est, calidum? Vinum, inquit, omne calidum est: uerùm quoniam aliud

magis,

magis, minúſue alio hanc obtinet qualitatem, nomen illud contrarij habitus accipit, frigidumque uocatur, quia longè minus calidum eſt. Terra autem Ægyptus vina frigidiora, cæterorum ſcilicet comparatione, affert, quoniam calor illius cœli immodicus, ita humum elaxat, ut calorem omnem ſoli inteſtinum euocet, atque abſumat. Scythia, quòd frigida eſt, calorem ad ima terræ compellit, atque includit: itaque uina efficit calida, & validiora. Et libro primo eorundem problematum, eandem quæſtionem ueſtigans: Calor, inquit, facit, vt frigida omnis qualitas deferat ſe ad radices uitium. Itaque illas refrigerat. Quod, cùm ſtirpibus commune eueniat omnibus, vites amplius ſentiunt: quia molliores, atque affici oportuniores ſunt. Cæterùm ut credam Heſiodum per uinum Biblinum intellexiſſe Ægyptium, non ſolùm ea ratione adducor, quòd nullum ſit Ægyptio impotentius: & quòd uocari Biblinum putem, quia in eadem cum Biblo, id eſt papyro regione prouenit: uerùm etiam propter ſummam auctorum diſcordiam, tum in aſſignanda nominis origine, tum in ipſiuſmet rei natura prodenda. Neque enim deſunt, qui Biblinum non pro inefficaci, & inualido, ſed planè pro meraco, ac vetere uino accipiendum dicant. Quorum ſententiæ magnopere fauet iactatum illud: ὕδωρ δὲ πίνε, τὸν δὲ βίβλινον ςύγε: ideſt, Bibe aquam, uinum uerò Biblinum odio habe. Quæ, non niſi ut res diſſimilimarum uirium, & prorſus diſparilis efficacitatis comparari potuerunt. Non poſſum uerò ſilentio præterire in decimo libro Codicis Iuſtiniani, Titulo XXXVIII, Capite I mentionem eſſe nominis poſſeſſiui Biblius. Quod etſi Alciatus rectè obſeruauit deductum eſſe â Byblo Phœniciæ ciuitate, tamen qui eſſent, qui ſecundaria ſignificatione Biblij nominabantur, neſciuiſſe videtur,

De prioribus Biblis ſcribit Ælianus libro uariæ hiſtoriæ quarto, uerba faciens de diuerſis gentium, & populorum moribus: quòd, ſi in uia incidiſſent in aliquid, id tamen non ſuſtulerint, exiſtimantes, ſe furtum committere, ſi inde quicquam auferrent, vbi nihil uel depoſuiſſent, uel amiſiſſent. De poſterioribus Heſychius, qui Biblios à Cyprijs dici annotat ſepulcrorum cuſtodes, quique ad mortuorum tumulos excubabant. Nam Byblus Phæniciæ, auctore Strabone libro XVI ſacra erat Adonidi pulcherrimo Veneris amaſio, filio Cynaræ Cypriorum regis, & Myrrhæ eius filiæ, quem Martianus Capella libro ſecundo de Nuptijs Philologiæ ideo Biblium iſto carmine appellat:

Ammon, & arentis Libies, ac Biblius Adon.

Hunc Adonidem ab truculentiſſimo apro crudeliter interemptum, quotannis defleri ſolitum fuiſſe, teſtatur Hieronymus in Ezechielem, his uerbis. Quem nos Adonidem interpretati ſumus, & Hebræus, & Syrus ſermo Thamuz uocat. Vnde quia iuxta gentilem fabulam in menſe Iulio, amaſius Veneris, & pulcherrimus iuuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur, eundem Iulium menſem eodem appellant nomine, & anniuerſariam ei celebrant ſolennitatem, in qua plangitur quaſi mortuus, & poſtea reuiuiſcens canitur, atq; laudatur. Vnde apud Ezechielem prophetam capite VIII legitur: Ecce ſedebant ibi mulieres plangentes Adonidem. Vbi intelligi uult fuiſſe idololatriam celebratam in honorem Adonidis. Septuaginta ibi pro Adonide habent Θαμμούς, uocem Hebraicam. Idem Hieronymus in epiſtola ad Paullinum de inſtitutione monachi: Bethlehem, inquit, lucus inumbrat Thamus, id eſt Adonidis, & in ſpecu, ubi quondam Chriſtus paruulus uagijt, Veneris amaſius plangebatur.

Ab hac

Ab hac ergo pessima consuetudine, & qua deo nihil potest esse infensius, manasse credibile est, ut siticines, siue τυμβαυλαι dicti fuerint Biblij. Diuersum prodidit de Thamuz Rabi Moyses Cordubensis, non rectè inter Ægyptios à quibusdam adscriptus, quo, post primum illum Moysem Iudæorum fortissimum per mare rubrum ductorem, nemo doctior inter Hebræos publica eruditorum confessione celebratur. Nam libro III ducis, siue directoris dubitantium, cap. XXX refert scriptum inueniri in monumentis Zabiorum, quendam sacrificulum uatem idolorum, cui nomen erat Thamuz, præcepisse regi cuidam, vt genua submitteret septem stellis erronibus, & duodecim signis cælestibus. At regem ira percitum iussisse Thamuz graui affectum supplicio è vita exigi, atque eadem qua ille nocte animam efflauit, conuenisse omnia totius habitati orbis idolorum simulacra in regale Babylonis palatium ad imaginem auream Soli dicatam, quæ sublimis in aëre inter cælum, & terram pendebat. Orto autem Sole inuentam esse istam Solis statuam in atrio palatij humo affixam, prouolutis ad pedes illius cæteris minorum gentium statuis omnibus, quæ infelicem uitæ Thamuz exitum miserabili, & planè lugubri, ac mæsta eiulatione coram ea deflebant. Demum nænijs ad finem perductis, mox deinde singulas quasque imagines sua loca repetijsse. Vnde postea consuetudine receptum sit, singulis annis sub initium mensis Thamuz flere, deplorareq; ipsum Thamuz. Quam quidem narrationem esse peruetustam in gente Zabiorum, idem Rabi Moyses adstruit. Porrò autem qui fuerint Zabij isti, aliter Zabaistæ nominati, & cuiusmodi sint religionem professi, facile erit cuiuis ex eodẽ auctore cognoscere. Quinetiam Auerrhoës disputationum physicarum vltima, narrat Zabaistas, quorum legem Auen

zaha omnium antiquissimam facit, etiam ipsius Moyseos lege ueteriorem, constanter tutatos esse mortuorum resurrectionem. De eorum progenie fuisse arbitror Balaam, &, qui de huius stirpe descenderunt, tres Magos, qui Christum adorasse scribuntur, profectos quidem, non ex Mesopotamia, vt Chrysostomo, Hieronymo, & Ambrosio visum est: nec ex Persia, nec ex Arabia felice, vt multi sapientes existimant: sed ex Saba Arabiæ desertæ ciuitate, quam, cùm illic uersarer, uocari hodie Simiscasac, iudicaui, sex ad summum dierum itinere Hierosolymis dissitam. Nam non Hieronymus modò, Augustinus, Thomas, ac cæteri ferè omnes auctores, uerùm etiam antiqua ecclesiæ traditio tenet, quòd Magi Christum decimotertio die, ex quo natus fuerat, adorauerunt. Quod ipsum præstare non potuissent, si ex Saba Arabiæ felicis, uel ex Persia, aut etiam ex Mesopotamia uenissent. Nisi dicamus, quod Chrysostomo, Augustinóque uideo placuisse, stellam Magis apparuisse tanto ante Christi natiuitatem, quantum fuit opus, ut tot regionibus, ac prouincijs peragratis, puerum haud moltò ante natum adorarent. At Arabia felix, itémque Petrea, in Austri parte iuxta situm non solùm Bethlehem (quæ non ultra sex passuum millia ab urbe Hierusalē abest) uerùm etiam totius Iudææ collocata est: Persia uerò, & Mesopotamia comparatione eiusdem Iudææ, Aquilonem prospectant. Quô fit, vt Magi ex vna Arabia deserta accedere potuerint, quæ Iudææ ab oriente adiacet. Dauid psalmo LXXI: Et dabitur illi ex auro Arabiæ: Reges Arabum, & Saba munera offerent. Fauent huic coniecturæ meæ quæ leguntur in libro Numerorum, cap. XXIII, ubi Balaam ab oriente accitus fuisse dicitur ad execrandum populum Israheliticum. Et capite XXIV proponitur prophe-
tia

tia eiusdem Balaam, ex qua apertè colligitur, illi firmiter persuasum fuisse mortuos tandem resurrecturos, & Messhiam nasciturum. Videbo, inquit, eum, sed non modò: intuebar illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget sceptrum ex Israhel. Ex quibus palàm comprobatur illa doctorum coniectura, Magos, qui Christum adorauerunt, fuisse ex progenie Balaam: quippe cui diuinitus reuelatum fuerit, & tempus, & locus natiuitatis Christi. Quod deinceps uaticinium apud posteros conseruatum fuit, quibus etiam stella duce, id quod Balaam promissum fuerat, plenè demonstratum fuit, tunc cùm Christum in præsepio iacentem adorauerunt. Verùm istæc missa fiant, atque institutam de Biblo disputationem, claudat demum lacryma Biblidis, Antonio Liberali in trãsformationum congerie memorata, sed mihi, vt ingenuè fatear, minimè intellecta: tametsi non ignorem, quæ de Biblidis fonte Ouidius libri noni Metamorphoseon calce fabulatur. Quod si quis tam impotenter Biblidem adamat, ut lacrymas eius pertinacius rimari oportuisse dicat, næ ille iniquè nimis statuit, qui, quo ipse confici nolit, alteri Caunium amorem obijcit.

MEMBRVM III.

In palmarum folijs primò scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici cæpta, aut ceris.

Correctio Guilandini.

In maluarum folijs primò scriptitatum: deinde &c.

Commentarius Guilandini.

QVandoquidem Plinius superiore proximè præcedente membro Varronis sententiam fuisse, docuit, chartam primò Alexandri Magni uictoria repertam, cùm ante ea tempora penitus ignota, atque incomperta iacuisset: ideo uolens indicare, qualinam materia prisci illi mortales ad scribendum usi sint, statim eiusdem Varronis decreto subiungit: In palmarum folijs primò scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici cæpta, aut ceris. Quæ uerba, etsi meam diligentiam exigere non uidentur, quòd â Grammaticis, & Lexicographis ad tædium, & nauseam vsque sint declarata: tamen, si, quæ illis inquirere curæ non fuit, ego quoque silentio tramitterem, multæ profectò reprehensioni obnoxius fierem. Vetus dissidium est inter Academicos, Peripateticos, Stoicos, an plantæ uocari debeant animalia, non idem omnibus censentibus. Nam Plato in pulcherrimo illo dialogo, cui Timæus nomen fecit, in quo omnia naturalia complectitur, quemadmodum in Parmenide cuncta diuinorum genera prosequitur, arbores, plantas, semina, non modò clara assertione animalia appellat, sed rationem quoque reddit, qua pronuntiat, animal non nisi unius participatione uitæ constitui. Equidem familiare, & alienum â se plantæ agnoscunt, uitámque appetitiuam, altricem, & seruatricem habent, quibus aluntur, & crescunt, ut Theo-

phrastus

phraſtus in libris, quos iſti ſpeculationi dicauit, & Galenus in libris de naturalibus facultatibus atteſtantur. At Ariſtoteles cùm alibi ſæpe, tum præſertim libro II de anima, vbi accuratiſſimè ab inuicem diſtinguit res animatas, cenſet quidem plantas, & naturalis, & nutrientis animæ eſſe participes, animalia autem non cenſet eſſe uocanda. Quod enim alterius animæ, nempe ſentientis eſt particeps, id ſolum ſtatuit animal nuncupari. Stoici uerò, qui naturalem, ſeu uegetantem facultatem, ne quidem animam nominant, plantam, neque animatum, neque animal eſſe exiſtimant. In quorum ego philoſophorum decreta minus diligenter inquiram, ne quæ ſua luce clariſſimè fulgent, mea oratione ſordeſcant, obſcurentúrque. Non diſſimulabo tamen, Platonis pronunciato magnopere fauere, quæ de palmis narrantur, in quarum folijs, ſi Varroni credimus, priſca illa hominum ætas, necdum ſatis exculta, atque polita, ſuas litteras exarabat. Nam etſi omnibus ferè cùm arboribus, tum herbis diligentiſſimi quique naturæ utrunque ſexum aſſignarunt: nullis tamen quàm palmis manifeſtius elucet. Etenim palmæ inuicem maritali quadam copula coniunguntur, maréſque attrahunt ad ſe fœminas, neque illæ congreſſum, quantuncunque adniti poſſunt, aufugiunt, ſed ultro ramis ab utraque uiciſſim cõtrà ad oſculum quodammodo exporrectis, manifeſta dant mutui deſiderij ſigna, quemadmodum eleganter refert Philoſtratus in imaginibus, & comprobat Florentinus apud Caſſianum Baſſum libro X γεωπονικῶν, capite IIII, attingítque Galenus libro VI de locis affectis capite V non ſine graui interpretis errore, qui, quæ ibi à Galeno de palmarum arboribus dicuntur, ipſe Phœniciæ populorum amoribus tribuit. Quem interpretis lapſum deprehendit ante me Hieronymus Mercurialis,

ab excellenti doctrina, & incorrupta morum probitate laudatissimus, quem uirum schola Medicorum Patauina, in qua ille, magno bonorum applausu, primarium occupat locum, ceu alterum quendam solem, cælitus demissum suspicit, ueneratur, colit. Cæterùm narrat Ammianus Marcellinus libro XXIV Iulianum Imperatorem, postquam armatus Assyriam est ingressus, inuenisse plures agros consitos uineis, uarioque pomorum genere: ubi oriri arbores assuetæ palmarum per spatia ampla, instar ingentium nemorum. Et qua incesserit quispiam, termites, & spadica cernere assidua, quorum ex fructu, mellis, & uini conficiatur abundantia. Adhæc maritari palmas ipsas, facileque sexus posse discerni: quin & generare fæminas seminibus illitas marium, eásque amore mutuo delectari: atque hoc inde clarere, quòd contra se uicissim nutantes, ne turgidis quidem flatibus auertantur. Et, si ex more fæmina maris non illita fuerit semine, abortus uitio fetus amitti intempestiuos. Addit & illud: si qua fæmina cuius arboris amore perculsa sit ignoretur, unguento ipsius infici truncum, & arborem aliam naturaliter odoris dulcedinem concipere, hísque indicijs uelut coëundi quandam prodi fidem. Quæ ideo huc transcribere uolui, quia palmarij etiamnum in Ægypto, Arabia, Mesopotamia, Iudæa, Phænicia, tota Syria, uolentes cauere, ne fæminæ, aut sterilitatis noxam incurrant, aut fructum, quem aliquando imaginatione libidinis, ut ita dicam, concipere solent, (quemadmodum aues oua irrita, quæ hypenemia dicimus) ante maturitatem amittant, ita ordinant vtriusque sexus palmas, vt mares eo saltem interuallo â fæminis distent, quô puluis uentorum flatibus â folijs mascularum sublatus in fæminarum folia incidat: ídque satis ad fœcunditatem, & fructus maturatio-

rationem facere compertum est. Sed mirum dictu, quod, si qua procul â mare abstiterit, vt neque puluis, neque aura, odórue eius ad eam permeare possit, excogitauerunt coloni funem â mare religatum ad fœminam usque producere, atque ita quasi maritali uinculo copulatam, masculi uirtute clanculum per funem irrepente fecundam fieri, quæ prius in ea sterilescebat solitudine. Verùm libet Florentini quoque ex Georgicis uerba producere, quô res alioqui certissima, plurium testimonio roboretur. Palma, inquit, amat, & quidem ardenter alteram palmam: neque prius desiderium in ipsa cessat, donec ipsam amasium consolari contingat. Videre est ipsam arborem incuruatam, & non ferentem proprium pedamentum, neque fructum producentem. Atque hoc ipsum agricolam non latet: nouit enim quòd amet, quam verò amet, ignorat. Quapropter multas palmas contingens, rursúsq; ad amantem regrediens, eámque manu attingens, quasi osculum mutuo ministrare uidetur. Quam verò ipsa desideret, affectionum, &, si ita dicere licet manuum nutu, aliquo modo significat: ad illam enim respicit, & in illam ex toto se amanter inijcit, eámque quasi amplectitur. Medela igitur amoris est, vt agricola frequenter masculam contingat, & manus suas amanti admoueat: & maximé vt flores ex spatha masculæ decerpens, in caput amantis imponat. Hoc namque modo amorem mitigat, & palma ipsa exhilarata de cætero optimum, ac pulcherrimum fructum fert. Amplius Hexaëmeri tertio cum magno Basilio Ambrosius: Est etiam, inquit, quod mireris: nam ipsis sexus pomis inest: inest arboribus sexus discretio: quippe palmam uideas, dactylos quæ promit, plerunque ramos proclinantem suos, seséq; submittentem, ac concupiscentem, & amplexus spe-

ciem quodammodo arbori prætendentem, quam palmam marem nuncupant rusticorum pueri. Palmam igitur illam fæminam intelligunt, quæ sexum subiectionis specie confiteatur. Quo sanè argumento agricolationis periti ramis eius dactylorum, uel masculæ palmæ semina præstruentes, ueluti perfunctionis sensum infundunt, ac expetiti concubitus exhibent gratiam. Quo affecta munere surrigitur denuo, ac planè hilarior comam protollere animaduertitur. Cæterò non sine maribus gignere fæminas, sponte edito nemore, confirmat quoque Plinius libro XIII cap. IV, immo verò circa singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu, uisúque ipso, & plures etiam reliquas maritare. Huius arbore excisa, uiduas post sterilescere fæminas: adeóque esse Veneris intellectum, vti coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore, ac lanugine, interim uerò tantùm puluere insperso fæminis. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, eiusmodi amoris exemplum, atque coniugij, nondum octogesimus agitur annus, ex quo id genus arbores in Italia studiorum, omniúmque uirtutum altrice terra dedere. Huius autem rei celebris testis est Iouianus Pontanus, Alphonsi iunioris Neapolitani regis præceptor, & epistolarum magister, philosophus, orator, ac poëta insignis, & quem fabulas pro historia, de re maximè suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset. Hic sanè duas celebrat palmas, marem vnum Brundusij, fæminam alteram Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: ubi verò tantùm adoleuere, vt sese inuicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum tractu dissidentes, fetificare ceperint. Sed cur non ipsum audiamus?

Brundusij latis longè viret ardua terris
Arbor, Idumæis vsque petita locis.
Altera Hydruntinis in saltibus æmula palma,
Illa uirum referens, hæc muliebre decus.
Non uno creuere solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
Vtraque, frondosis & sine fruge comis.
Ast postquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cæpere & cœlo liberiore frui,
Frondosique apices se conspexere, uirique
Illa sui uultus, coniugis ille suæ,
Hausere & blandum uenis sitientibus ignem,
Optatos fetus sponte tulere sua.
Ornarunt ramos gemmis, mirabile dictu,
Impleuere suos melle liquente fauos.

Sed quid ego in palmarum exemplo diutius immoror? An non Æschynomenen narratam Apollodoro Democriti discipulo, cùm superioribus annis in Arabia peregrinarer, appropinquante manu, folia contrahentem his oculis uidi? Quæ, aut eadem fuerit, aut ei similima, cum ea, quam Lusitania hodie herbam uiuam appellat, ex Brasilia prouincia primùm subuectam, quæ attacta, non solùm refugit, uerùm etiam omnia folia ceu indignabunda ad terram deijcit. Octonum circiter pedum est plantæ proceritas, quæ oritur in prouincia Malabar: ea rerum accessum uidetur sensu percipere. Appropinquante homine, aut animali, ramos constringit: recedentibus, pandit. Folia polypodij, flores uerò luteos habet. Hanc ueteres ignorasse, uti censet Garcias Hortus proregum in India orientali medicus celeberrimus, non puto: quin immo suspicor de hac loquutum esse Theophrastum libro IV de historia pl. cap. III peculiare quiddã circa Mẽphim nasci tradentẽm, non folijs, uel ramis, uel tota forma

proprietatem ſortitum, ſed affectione, quæ accidit: Eſt namque facies eius ſpinoſa, foliúmque filicibus non abſimile, ſed cùm ramulos quiſpiam tetigerit, folia quaſi hebetata concidunt, tum tempore aliquanto poſt reuiuiſcunt, rurſúſque uirent. Ego ſtirpem iſtam diu, multúmque in Ægypto circa Memphim, Heliopolim, Tanim, & Alexandriam quæſitam, nuſquam offendere potui. Mirabilior eſt planta, quam, qui Magellanicæ circumnauigationi interfuerunt, memorant, quippe in inſula Cimbubon, quæ proxima eſt inſulæ Burnei, conſpexerunt arborem, cuius frondes in terram lapſæ reptione quadam ſeipſas & mouent, & promouent. Frondibus facies quæ mori. Vtrinque habent quaſi pedes puſillos binos, & ſi tangantur, abeunt, aut refugiunt. Ex ijs una, dies octo ſeruata in ſcutella uixit: mouítque ſeſe quoties tangeretur, totam ſcutellæ oram circumeundo. Super omnes autem fuerit Baharas, quæ radix in Iudæa naſcitur, colore, ut grauiſſimus auctor Ioſephus libro VII de bello Iudaico prodidit, flammæ quidem aſſimilis, circa ueſperam uerò ueluti iubare fulgurans: quæ accedentem, & euellere cupientem tam diu refugit, nec prius fugam ſiſtit, quàm urina muliebri, aut menſtruo ſanguine conſperſa fuerit. Eius inuentionem ferri debere acceptam Solomoni regum ſapientiſſimo, conijcio ex eodem Ioſepho libro VIII antiquitatum Iudaicarum, cap. II: &, niſi fallor, conuenit cum aglaophotide ſiue cynospaſto terreſtri Æliani; marmaritide Democriti: cynocephalia, & oſiritide Apionis: moly Homeri: & pæonia non Dioſcoridis, ſed Galeni. Cæterùm palmarum naturam obtinet quoque auellana Mexicana, cuius fructum indigenæ Cacao appellant, quæ citra ſociam ſui generis arborem non fructificat. Quarum equidem rerum omnium euidens, & explorata homini

bus

bus nostra tempestate certitudo fidem facere uidetur, non esse temere damnandum Platonis institutum, qui plantas animalia uocare haud extimescit. Neque uerò me præterit, quod Aristoteles, & discipulus eius Theophrastus statuunt, dum miras rerum etiam surdarum sympathias, & antipathias obijciunt, &, quod prolixius de palmis exposui, caprificationẽ uocandam dictitant, sequuti ea in re Herodotum, ubi de Babylone libro primo disserit. Tantùm autẽ abest vt longius abeam à præcellentium horum philosophorum decretis, ut etiam utroque pede in eorum currens concedam sententiam. Illud solùm contendo, & concedi mihi postulo, quam Aristoteles animalis generi latitudinem sapientissimè adscribit, eandem, nec minorem stirpibus insidere: quanquam ea ob magnam stirpium ruditatem, aut nostrorum fortasse sensuum hebetudinem, minus agnita, compertáque habeatur. Cui asseuerationi non parum roboris præstat, quod de spongijs confitentur omnes, quibus intellectum inesse apparet: quia ubi auulsorem sensere, contractæ multò difficilius abstrahuntur. At spongias in plantarum censu, numeróque habendas, testatur Aristoteles libro IIII de generatione animalium, capite V: &, quamuis in istoc Philoponus, Nemesius, & Auerrhoës ab Aristotele dissentiunt: interim tamen ijdem vnam ex sentiendi facultatibus, qui tactus sensus uocatur, eis non minus quàm animalibus inesse concedunt. Sensus profectò, ut plantis, ut corporibus cælestibus, sed alio genere, & conditione quàm hominibus, & brutis tribui possit, in tertio de anima libro Simplicio Peripatetico eminentissimo non displicet: nec displicuit antè Plutarcho, id ipsum, quantùm ad cælestia pertinet, palàm asseueranti, & ad eam sententiam Aristoteleum litteræ contextum exponenti. Vt mittam ip-

ſummet adeo Ariſtotelem plantas non rarò ζῶα uoca re, uti teſtatur etiam Themiſtius, Philoponus, Simpli cius, Auerrhoës, expoſitores cæteri ad ſecundum de anima librum: & uidere licet apertiſſimè in ipſo Ariſtotele, libro de reſpiratione capite XIII, & libro III de generatione animalium capite ultimo. Verùm nihilo minus, quàm conuenientia ſexus cum animalibus admirabile eſt, quod Philo Iudæus libro I de uita Moyſis annotauit, palmam habere uitalem uim non in radicibus defoſſam, ut cæteræ ſtirpes, ſed in ſummo trunci uertice, quaſi cor, ſitam in ramorum medio, â quibus circumquaque ſtipatur ceu princeps â ſuis ſatellitibus. Eam partem Theophraſtus libro II hiſtoriæ plantarum, capite VIII, Galenus libro VIII de ſimplici medicina, Strabo libro XV, Plutarchus in libello de tuenda ſanitate, Philoſtratus libro II de uita Apollonij, Xenophon ἀναβάσεως ſecundo, alij multi appellant ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος: uulgus deprauatè, ut omnia, cephalonem: qua tamē dictione etiam Palladius utitur, ſed toto opere tantùm ſemel, ut ſuſpicari liceat aliunde irrepſiſſe: Plinius libro XIII, capite IV cerebrum nuncupat: Dioſcorides ἐγκάρδιον. Sanè hic etiam idem quod reliqui Græci ſcilicet, & Latini ſenſiſſe cenſendus eſt, quatenus cerebrum â ueterum pleriſque ἔγκαρ, & ἔγκαρος quoque dicitur, quemadmodum ex Lycophrone, & Plutarchi ſympoſiacis annotauit Euſtathius in nona Iliadis rhapſodia. Neque certè omnino ſubterfugere poſſumus, quin plantas cerebro animalium ſimile quiddam obtinere aſſeuerauerimus. Eadem uerò ratione confiteri quoque oportebit, ſenſus in plantis uigere, ſi non omnes, ſaltem ſenſum tactus. Quandoquidem, cùm â cerebro fluant actiones neceſſariæ, & ad motum, & ad ſenſum per ſpiritum animalem: plantæ uerò cerebrum ha-

beant:

beant: ideoque & ſpiritum animalem. ſenſu quoque eædem præditæ ſint neceſſe eſt. Verùm cùm, læſa palmæ parte, quam Græci auctores ἐγκέφαλον, id eſt cerebrum nominant, ipſa quoque arbor emori ſoleat; quod non contingit, ſi, qua truncus à radice emergit, feriatur (qui alioqui locus in aliis arboribus ſi percutiatur, in cauſſa eſt, ut illæ ſtirpes exareſcant) iure merito pars illa cum Philone cor, uel cum Dioſcoride ἐγκάρδιον, ſed ita ut hæc uox ex ſententia Philonis exponatur uel intelligatur, potius quàm cerebrum dici debet: quia cor continuitatis ſolutionem tollerare non poteſt, quam tamen cerebrum non rarò ſuſtinere experientia claro eſt documento. Quodcunque uerò quis ſtatuat, interim tamen idem negare non poterit, quin tam cerebri animalium, quàm cordis actionibus ſimilia fiant in plantis. Quamobrem neque Platonis ſtirpes animalia uocantis ſententia temere uel explodenda, uel reprehendenda à quoquam eſt: præſertim cùm manifeſtum etiam ſit neque Ariſtotelem omnino ab iſta ſententia alienum eſſe. Non eſt ſilentio prætereundum, quod Garcias Hortus, cuius paullò antè mentionem feci, quique iam ſupra triceſimum annum medicinam in India orientali continenter facit, memoriæ litteris prodidit, palmas nuſquam tota India reperiri, & fructus earum deferri ex Arabia in Indiam. Vnde facilè quilibet cognoſcere poteſt, per palmas, quas Theopraſtus, Arrianus, Strabo, & alii ſcriptores ueteres naſci in India narrauerunt, intelligendas eſſe non propriè dictas: ſed quas recentior ætas nuces Indicas cognominat. Non quidem illo argumento, quòd mel, panis, uinum, & acetum ex palma conficiantur, quæ omnia fieri ex palma nata in Meſopotamia, ubi nux Indica non oritur, teſtatur Strabo libro XVI, & qui hunc multis ſæculis præceſſit

Herodotus

Herodotus libro I, & vtroque posterior Plinius eodem loco, quem proximè citaui: ſed quia palma, quæ paſſim in Aſia, & Africa gignitur, nuſquam tota India pullulat: & ſicubi in ea prouenit, illico ſterilis, & infecunda exſurgit. Adijciam illud quoque, quò magis & magis palmarum præſtantia ſupra alias ſtirpes conſpicua fiat, quòd nempe (vt ſcribit Theophraſtus libro V hiſtoriæ plantarum, capite VII: nec diſſentit Strabo, eodem libro, cuius iamiam memini, nec Ariſtoteles in problematis, nec Plutarchus octauo ſympoſiacorum quarto, nec Plinius libro XVI, capite XLII) in diuerſum quàm aliæ arbores incuruantur: quippe cùm reliquæ omnes in inferiora flectantur, palma in contrarium curuatur, non cedens, ſed contra pondus reſurgens. Quoniam uerò ingenium eiuſmodi ligni illius ſit, vt vrgentibus, opprimentibúſque non cedat: ideo communiter in coronarijs, ſacriſq; certaminibus ferè omnibus aliud præmium quàm palma nō dabatur, vt inquiunt Pauſanias in Arcadicis, & Plutarchus eodem quem poſtremò indicaui loco: cùm alioquì ſinguli ludi peculiares quaſdam arbores, aut herbas haberent, quibus uictores inſigniebantur: ueluti oleaſtrum, myrtum, pinum, laurum, apium. Huius autem tam ſtupendi in palma experimenti triplicem cauſſam recitat Plutarchus in libello de cauſſis naturalibus, problemate ſecundo ſupra triceſimum, quod vnà cùm ſequentibus octo in Græcis exemplaribus impreſſis deſideratur. Vtrum, inquit, quòd ignea, & ſpiritalis facultas qua maximè pollet, cùm tentatur & irritatur, ſeſe exercens, magis & magis erigit? An quoniam pondus ramos ſubitò urgens, aërem omnem, qui in his eſt, oppreſſum cedere retro cogat, qui deinde reſumptis paullò uiribus aduerſum onus acrius rurſus inſtat? An molles, & teneræ virgæ impetum

non

nõ ſuſtinentes,cùm onus quieſcit,paulatim ſe erigunt, & ſpeciem, quaſi contra illud aſſurgant,exhibent? Porrò autem palma, non vnam tantùm ſignificat phænicem, qua victores redimiri dixi, ſed etiam uitem,teſte Varrone libro I de re ruſtica, capite XXI. Vitis, inquit, eò quòd inuitetur ad vuas pariendas dicta primò uidetur, & â pariendo parilema, ex immutatis litteris, vt in multis, dici cæpta palma. Quod ideo etiam annotandum duxi, vt hac occaſione admoneam, ne quiſpiam incidens in locum Columellæ libro III, capite I, ubi palmæ campeſtris meminit, credat, ſermonem fieri de uite ſylueſtri, uel etiam de cephalone, adductus Ciceronis auctoritate, qui ſeptima in Verrem oratione tradit palmarũ agreſtium multitudinem in Sicilia inueniri. Theophraſtus quoque palmis iſtis agreſtibus, quas χαμαιῤῥιφεῖς appellat, ut Dioſcorides χαμαιζήλους, abundare Cretam, & Siciliam ait. Verba Columellæ ſunt hæc: Ex ſurculo uel arbor procedit, ut olea: uel frutex, ut palma campeſtris: uel tertium quiddam quod nec arborem, nec fruticem propriè dixerim, ut eſt uitis. Vbi pro palma campeſtris, legere oportet canna campeſtris, atque hoc ex eodemmet Columella libri decimitertij principio, quo loco repetit eandem ſurculi diuiſionem his verbis: Ex ſurculo uel arbor procedit, ut olea, ficus: uel frutex, ut roſæ, arundines: uel tertium quiddam, quod neque arborem, neque fruticem propriè dixerimus, ſicuti eſt uitis. Non ignoro, Ouidium libro VIII metamorphoſeon, arundinẽ â canna ſeparaſſe hoc uerſu:

Viminaquè, & longæ parua ſub arundine cannæ.

Sed iſtud poëtæ apoteleſma eius non eſt momenti, ut ego propterea ab hac mea ſententia recedere debeam. Columella libro VII, capite IX. Namque,

que, inquit, & id fecisse maximè per æstatem profuit & dulces eruisse radiculas aquatilis syluæ, tanquam scirpi, iuncique, & degeneris arundinis, quam vulgus cannam uocat. Idem libro IV, capite XXXII de arundineto: Ea est autem senectus, cùm uel exaruit situ, & inertia plurium annorum, uel ita densatum est, ut gracilis, & cannæ similis arundo prodeat. Quin de illo quoque commonendus mihi est lector, falli Hermolaum, Ruellium, Marcellum, & qui eos sequitur Matthæolum, nouissimum lemmatum Dioscoridis interpretem, quando omnes unanimi consensu perhibent, Phœnicem pusillam Dioscoridi herbulam, dici â Plinio Phœnicæam, & hordeum murinum, decepti nominum similitudine. Nam si uires utriusque expendissent, protinus, distare eas diametro intellexissent: siquidem Phœnicæa trita ex uino pota, præclare menses ciet; quos fluentes Phœnix strenuè etiam supprimit, si Dioscoridi credimus. Etsi verò quæcunque hactenus narratione exsequutus sum, non aliunde quàm â palma originem habuere, in cuius folijs olim scriptitatum, Plinius ex Varrone memorat: tamen nondum indicaui, cur maluarum folijs apud eum auctorem nouandum putem. Cui audaciæ meæ non unam caussam prætexo, sed quòd apud neminem Varrone antiquiorem comperi palmarum folia ad usum scribendi aliquando accommodata fuisse: tum quòd naturâ asperiora, durioráque sunt, quàm ut commodè in eum usum recipi queant, tum uerò quòd arundinea passim obuia subrogari præstabat. Suetonius Tranquillus in Octauio: Apud Mundam, inquit, diuus Iulius castris locum capiens, cùm syluam cæderet, arborem palmæ repertam, conseruari, vt omen uictoriæ, iussit. Ex ea continuò nata soboles, adeo in paucis diebus adoleuit, ut non æquipararet modò matricem, verùm

etiam

etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamuis id auium genus duram, & asperam frondem maximè uitet. Accedit ad gratiam quòd maluarum folia rectius opponuntur arborum libris, quam folia palmarum, quæ & ipsæ arbores sunt: præterquàm quòd Cinna antiquus poëta, cuius Catullus, & Seruius meminere, in maluarum folijs scriptitatum indicat. Referuntur eius uersus ab Isidoro libro VI etymologiarum, capite XII:

Hæc tibi Areteis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus aëreos.
Læuis in aridulo maluæ descripta libello,
Prusiaca uexi munera nauicula.

Vt suspicari liceat huc respexisse Pythagoram, qui, ut auctor est Ælianus libro de varia historia IV, capite XVII sanctissimum esse folium μαλάχης, id est maluæ dicebat. In folijs stirpium scripsisse antiquos, testatur etiam Virgilius libro III Æneidos, de Sibylla canens:

Insanam uatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, folijsque notas, & nomina mandat.
Quæcunque in folijs descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.

Item in sexto:

Folijs ne tantùm carmina manda,
Ne turbata uolent rapidis ludibria ventis.

Et Iuuenalis satyra VIII:

Credite me uobis folium recitare Sibyllæ.

Vnde postea usus obtinuit, ut chartæ, siue pagellæ librorum folia nominarentur ad hunc usque diem. Cæterùm partitur Plinius libros in priuatos, & publicos: hos quidem plumbeis laminis in se conuolutis confici

ſolitos inquiens : illos uerò linteis, aut ceris. De libris plumbeis meminit Iob capite XIX: Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro, & ſtylo ferreo in plumbi lamina, uel certè ſculpantur in petra? De linteis Liuius decadis primæ libro IIII: In tam diſcrepanti, ait, editione, & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur: neuter tribunos militum eo anno fuiſſe, traditum â ſcriptoribus antiquis diſſimulat. Licinio libros haud dubiè ſequi linteos placet. Et paullò ſuperius: Nihil enim conſtat, niſi in libros linteos utroque anno relatum inter magiſtratus præfecti nomen. Vopiſcus in Aureliano: Et ſi his contentus non fueris, lectites Græcos, libros etiam linteos requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, cùm uolueris, miniſtrabit. Erant uerò libri antiquorum lintei, non quales noſtri, qui & ipſi ſine hæſitatione lintei dicendi ſunt, prout innoteſcet quando locum de chartis attingam, ſed in telam lineam deſcripti, non aliter quàm hodie â pictoribus uariæ rerum imagines in linteis ſeu telis depingi ſolent, quas & ipſas linteas uocare, nihil prohibet. Quales verò libri fuerint, qui in ceris deſcribebantur, dubium fortaſſe videri poteſt, præſertim cùm annotauerit Hermolaus in caſtigationibus, codices antiquos hoc loco habere ſchedis, non ceris, eámque ſibi lectionem non diſplicere. Verùm ego utroque modo rectè legi poſſe arbitror, ſenſu ſemper manente eodem. Schedæ enim erant aſſeres, ſiue tabellæ ſectiles, non abſimiles ſcandulis, quibus tecta, tegularum uice, in quibuſdam locis teguntur, dictæ ἀπὸ τοῦ σχίζειν, id eſt â diffindendo, ſiue diſſecando. Vnde σχίδαι, propriè â ueteribus appellãtur ligna fiſſa in uſum ſacrificiorum, ut tradit ſcholiographus Ariſtophanis in pace. Vitruuius quoque libro VII, capite X ſchidia accipit

pro

pro ligni fragmentis, quæ aſſulæ in marmore dicuntur ab eodem capite VI eiuſdem libri, â Græcis σκύροι. Vel dictæ ſunt ſchedæ ἀπὸ τοῦ σχεδάζειν, ſicut ſchedia pro eodem ἀπὸ τοῦ σχεδάζειν, quod utique ſignificat rem ruditer incipio, auſpicor deliniare, deformare, & partes rudiores abradere, ſiue, ut Plautus in Aſinaria loquitur, exaſciare, cui opponitur perpolire, edolare, & limare aliquid ſubtilius. Nam non erat ſatis ſchedas, quæ uſui futuræ eſſent ad ſcribendum, dolabra, & aſcia paraſſe, niſi etiam accuratius expolirentur, & inducta cera ſolicitius illinirentur, obducerentúrque, ſuam præſertim ob duritiem minus idoneas cùm ad literas recipiendas, tum eaſdem abolendas. Mos etenim erat ferro, non calamo in ceris ſcribere, quod Græcos, & Tuſcos primùm factitaſſe teſtatur Iſidorus libro ſupra indicato, capite IX. Poſtea Romani iuſſerunt, ne graphium ferreum quis haberet: unde & apud ſcribas dicebatur, ceram ferro ne cædito: inſtitutúmque ceram oſſibus ſcribere, ſicut indicat Atta in ſatyra his uerbis:

Vertamus uomerem in ceram, mucroneque aremus Oſſeo.

Schedæ, quæ ad eum modum paratæ erant, propriè dicebantur ceræ, & quòd pungendo ſcriberentur pugillares, quemadmodum quòd ex codice arborum conſtarent, codicilli. Quæ cauſſa eſt vt ceras non raro pro libellis, ſiue epiſtolis, tabuliſque ab auctoribus poſitas legamus. Quintilianus libro X, capite III. Illa quoque minora non ſunt tranſeunda, ſcribi optimè ceris, in quibus facillima eſt ratio delendi. Ibidem: Ne latas quidem ultra modum eſſe ceras uelim, expertus iuuenem ſtudio ſum alioqui prælongos habuiſſe ſermones, quia illos numero uerſuum metiebatur: ídque uitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis co

dicibus esse sublatum. Plinius iunior libro I epistolarum: Erat in proximo, non uenabulum, aut lancea, sed stylus, & pugillares: meditabar aliqua, enotabámque, vt, si manus uacuas, plenas tamen ceras reportarem. Cicero tertia in Verrem oratione: Deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit. Plautus in Curculione actu III: Dum scribo, expleui totas ceras quatuor. Iuuenalis satyra I.

Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadriuio?

Sed superuacuum est hæc colligere, quæ passim legentibus occurrunt, sicut & quod schedæ, ac schedia pro libris, litterarúmque monumentis scriptoribus accipiantur. Quintilianus libro I, capite VIII: Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Sidonius Apollinaris libro VIII epistolarum: Apollonij Pythagorici uitam, non ut Nicomachus senior ê Philostrati, sed vt Roscius Victorianus é Nicomachi schedio expressit. Hieronymus in præfatione in librum Iob: Habeant qui uolunt ueteres libros uel in membranis purpureis, auro, argentóque descriptos, uel uncialibus, vt uulgò aiunt, litteris, onera magis exarata quàm codices, dum modò mihi, mesque permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Quod si delicatior quispiam pertinacius tueri uelit, non uacare menda impressa Plinij exemplaria, & pro schedis, cerísue defendat substituendum scandulis, sciat se nomen mutasse, non sensum. Scandulæ namque paruæ sunt tabellæ ex maioribus arborum truncis in paruas laminas scissæ: ideóque, non scandulæ, sed scindulæ, eò quòd

quòd scindantur, id est diuidantur, Isidoro libro XIX etymologiarum eiusdem numeri capite cognominatæ. Scheda porrò Plinio in hac ipsa de papyro tractatione, significat pagellam, siue laminam à papyri caule auulsam: seu, quod idem est, alterum de duobus chartæ ipsius artifici manu confectæ corium, ut clarum faciam, cùm in eius loci expositione uersabor. Turbidus, inquit, liquor uim glutini præbet, cùm primò supina tabula scheda adlinitur, longitudine papyri, quæ potuit esse segminibus utrinque amputatis: Et paullò post: Sed ratio deprehendit uitium, unius schedæ reuulsione, plures infestante paginas. Schedia autem ex auctoritate Seruij, & Festi Pompeij Græci uocant mala poëmata. Nos quidem, non mala, sed schedia scimus esse uolumina primo rudatu, & opificio deformata, non adhuc læuigata, æquata, expolita, & cælata ad vnguem, & ad ultimam consumationem deducta. Vnde αὐτοσχέδιος ijsdem Græcis appellatur forma ex ruditate, & impolitiæ delibrata, atque deliniata fabro, & artifici magisterio. Apuleius in deo Socratis: In isto, ait, schedio, & incondito experimini, an idem sim repentinus, qui præparatus. In summa, schedia apud Græcos sunt, quæ Latini extemporalia uocant. Et quia schedia in disquisitionem uenerunt, obiter annotabo illud quoque, Schediam dici locum quendam populosum in Ægypto urbi similem, quem Strabo libro ultimo quatuor schænis, hoc est miliaribus triginta ab Alexandria remouet. Eum locum Arabes hodie Rhaschît accentu in ultima, nostri Rossetum nominant, Ariosto nobili poëtæ Italico in furente celebratum Orlando. Denique schedia, auctore Festo, dicitur genus nauigij inconditum, id est trabibus tantùm inter se nexis factum. Quod cùm Suidas quoque, & Eustathius dicant, apparet Græcum

esse uocabulum, quando & Herodotus libro VI, itémque Strabo eodem, quem modò indicaui, loco, ea dictione usi sunt: hic quidem pro rate apertissimè, unde loco quoque nomen inditum sit Schedia: ille uerò magis uidetur accepisse pro ponte, quo Darius Bosphorum iunxit, ut est in Ctesiæ Persicis. Vlpianus sub initium libri XIV pandectarum: Nauem, inquit, accipere debemus siue marinam, siue in aliquo stagno nauiget, siue schedia sit. Sed vt reditum ad priora feram, librorum materiam fuisse comperi non solùm folia plantarum, cortices arborum, ligna cerata, lintea, plumbum, chartas, membranas, quæ omnia Plinius recitat: uerùm etiam ebur, sapphiros, lapides, æs, intestina animalium. Librorum eburneorum meminit Vlpianus libro XXXII pandectarum, qui est de legatis, & fideicommissis tertius, capite L secundum editionem Holoandri, qua utor: Librorum, inquit, appellatione continentur omnia uolumina, siue in charta, siue in membrana sint, siue in quauis alia materia. Sed & si in philyra, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in aliquo corio: idem erit dicendum. Quod si in codicibus sint membraneis, uel chartaceis, uel etiam eboreis, uel alterius materiæ, uel in ceratis codicillis: an debeantur, uideamus. Quos Iurisconsultus uocat eboreos, Flauius Vopiscus in Tacito elephantinos appellat, ijs uerbis: Ac ne quis me Græcorum alicui, uel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S.C. perscriptum est cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc S.C. quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. Hactenus Vopiscus. Vt ridiculum esse appareat illorum commentum, qui libros elephantinos dictos autumant ab operis amplitudine, quasi elephantorum

proceri-

proceritas nominis anſam illis dederit. In adſcriptis uerò Vlpiani uerbis animaduertere oportet, duo eſſe, philyram, & tiliam, tametſi arbor, quam Latini tiliam dicunt, â Græcis philyra appellatur, conſpicuo errore Hermolai, Ruellij, & Marcelli philyream in Dioſcoride tiliam interpretantium. Nam philyra, & tilia, non ſolùm arborem ita dictam denotant, uerùm etiam eiuſdem arboris bracteas, hoc eſt tenuiores membranas inter lignum, & extimum corticem latitantes. Philyra quidem tenuiſſimi corticis nomen eſt: tilia verò aliquanto craſſioris, minúsque quàm philyra tenuis. quòd Plinij uerbis palàm eſt, qui agens de tilia arbore libro XVI, capite XIV in hunc modum ſcribit: Inter corticem, & lignum tenues tunicæ multiplici membrana, ê quibus uincula, tiliæ uocantur, tenuiſſimæ earum philyræ, coronarum lemniſcis celebres, antiquorúmque honore. Vtramque rem uno corticis nomine comprehendit Martianus Iuriſconſultus libro de nuptijs philologiæ, commemorans libros in philyræ cortice ſubnotatos. Sed ex interioribus quoque corticibus ulmi tunicæ uocantur tiliæ Plinio libro XXIV, cap. IIX: Vlmi, inquit, & folia, & cortex, & rami uim habent ſpiſſandi, & uulnera contrahendi. Corticis vtique interior tilia lepras ſedat. Et interiectis quibuſdam, de eadem adhuc ulmo uerba faciens: Idem præſtant & tiliæ corticis. Nemo autem per libros in corio apud Vlpianum intelligat de tergore animalium factos, qui ijdem ſunt cum membraneis, ſed qui ê cortice arborum â tilia differentium fiebant. Etenim corium non unam animalium tantùm pellem ſignificat, ſed quodcunque integumentum, ſiue id plantarum fuerit, ſiue etiam rerum inanimatarum. Plinius libro XV, capite XXIIX: Putamine, ait, clauduntur nuces, corio caſtaneæ. Idem libro XIII, capite

XII de chartis agens: Igitur & ſecundo corio ſtatumina facta ſunt ê primo ſubtegmine. Cato de re ruſtica capite XIIX. Pauimento toti fundamenta pedum duorum facito. Fundamenta primùm fiſtucato: poſtea cementis minutis, & calce arenato ſemipedem unumquodque corium ſtruito. Quod ideo annotaui, ne quis Vlpiano præſtantiſſimo Iuriſconſulto diem diceret, & de uerborum quatuor ſignificatione, ceu Latinæ maieſtatis læſæ, reum faceret. Quem etiamſi Laurentius Valla acerrimus Iuriſconſultorum exagitator libro VI elegantiarum, capite XLIII non iniuria accuſauit in uocabulorũ, Liber, & Volumen, acceptione, utut Alciatus libro IV de uerborum ſignificatione contrarium oſtendere contendat: tamen hoc loco nulla reprehenſione dignus eſt, & planè ab omni culpa uacare uidetur, cùm libros membraneos â libris in corio ſeparat, atque inter tiliam, & philyram differentiam facit. Quod ſi Vallam accuſantem Vlpianum, aut Alciatum contra defendentem quidam non obſcuri nominis ſcriptor legiſſet, nunquam profectò monumentis ſuis inſeruiſſet, quæ mox ſequuntur uerba. Non ſatis, inquit, apud me conſtat, an ad augendum rei famam, librum uocârint partem totius uoluminis: ita ut phyſici auditus, octo dicantur libri, non unus: an pro libris, integra uolumina intellexerint. Quæ uerba ſi Vallæ datum eſſet legere, non ille unum Vlpianum, ſed hunc quoque uirum, cuius nomini iam ſecundùm miſereor, in ius, & quidem iuſtius uocaſſet, in tanta præſertim ignoratione rerum, quid librum, quidque uolumen Latini appellent, neſcientem. Quarum dictionum ſignificationem ſi quis cognoſcere auet, nullius me negligentiæ iure damnabit, quando loca, in quibus ea auctores excutiunt, bona fide demonſtrarim. Cæterùm Epiphanius in tractatu de duo-

decim

decim gemmis, quæ in ſacra ueſte Aaronis circa Vrim, & Thummim in rationali diſpoſitæ erant, tradit Moyſem accepiſſe â Deo optimo maximo legem decem mandatorum in tabulis ex ſapphiro expreſſam: quanquam non ſum neſcius Moyſem Gerundenſem, & reliquos Cabalæos aſſeuerare, Deum legem ſuam in globo igneo exaraſſe per ignem fuſcum ſuper ignem candidum. Ad quod oſtendendum adducunt illud Deuteronomij XXXIII: De dextera eius ignea lex eis. Moyſem autem â Deo edoctum de globo illo igneo legem deſcripſiſſe, inque libros diſtinxiſſe, atque in arcam aſſeruandos repoſuiſſe. Sed iſta uigilantium Hebræorum ſomnia, ſuis relinquamus ſomniatoribus, & quæ Grægorius ille Nazianzenus cognomento Magnus in primo libro Theologiæ de tabulis, ſiue libris lapideis habet ſubtexamus: βούλεται, φησὶ, οὕτω πλαξὶ στερραῖς καὶ λιθίναις ἐγγράφεσθαι, καὶ ταύταις ἀμφοτέροθεν, διά τε τὸ φαινόμενον τοῦ νόμου καὶ τὸ κρυπτόμενον, τὸ μὲν τοῖς πολλοῖς καὶ κάτω μένουσι, τὸ δὲ τοῖς ὀλίγοις καὶ ἄνω φθάνουσιν: Id eſt, Vult legem tabulis ſolidis, lapidiſq; utrinque inſcribi, propter manifeſtum eius atque occultum, hoc quidem multis, & humi repentibus hominibus, illud uerò paucis, & in ſublime euadentibus. Quibus ê uerbis præterquàm quòd apparet ſcribi olim lapidibus ſolitum fuiſſe, manifeſtè etiam elicitur, perperam illos facere, qui, ut eſt in prouerbio, Eleuſiniana ſacra in vulgus proferunt, ſiue, ut Chriſti uerbis utar, margaritas ante porcos abijciunt. Equidem teſtatur non modò auctor quarti libri Eſdræ capite XIV, ſed ex noſtris Hilarius ſuper II pſalm. & Origenes homilia V in Num. Moyſem nõ legem ſolùm, ſed ſecretiorem legis enarrationem in monte diuinitus accepiſſe. Præceptum autem ei â Deo, ut legem quidem populo ſcriberet, legis autem occulta miſte-

ria ipse ministro suo Iosuæ, hic deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. Enarraui ei, inquit Esdra, mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem: & præcepi ei, dicens: Hæc in palàm facies uerba, & hæc abscondes. Et paullò post: Ea ubi perfecta fuerint alia palàm facies, alia clàm trades sapientibus. Anatolius quoque apud Eusebium libro VII. ecclesiasticæ, capite XXVIII, Septuaginta interpretes refert Ptolemæo regi percunctanti, multa ex Moysis traditionibus respondisse. Cæterùm Herodotus in Vrania tradit Themistoclem etiam tempore Xerxis litteras bene longas in lapidibus incidisse, quas postero die Iones ad Artemisium uenientes legerint. Adhæc Ægyptios, qui se hominum antiquissimos esse gloriantur, secretiora dogmata sacris litteris, quæ ferè animalium, stirpiúmque effigies erant, in durissimi marmoris obeliscis descripsisse indicat Plinius libro XXXVI capite VIII. Sanctus propheta Enoch, septimus ab Adam magno, natus ante inundationem terrarum anno tricesimoquarto supra millesimum, uaticinatus est, teste Iuda Apostolo cognominato Thadæo in sua catholica epistola, de iudicio futuro tam aquarum diluuij, quàm ultimæ conflagrationis: & hoc suum uaticinium inscripsit duabus columnis, alteri lapideæ, alteri latericiæ, quarum illam Iosephus libro antiquitatum Iudaicarum I capite II suo adhuc tempore in Syria extitisse testatur. Sed quid testibus ago, cùm nusquã plures afferri possint? Roma quondam imperij magnitudine nobilis, hodie sincera Christi doctrina, sanctitateque eximia uenerabilis, ac mundi iam supra duo annorum millia caput, æternum precor sit munus Dei istud, tantum ueterum libellorum marmoreorum copiam habet, ut pigeat singulos nominatim attinge-
re,

re, nisi quod silentio prӕterire non possum fastos in Capitolio repositos ab Alexandro Farnesio Cardinale, uiro in tantum laudando, in quantum intelligi uirtus potest. Porrò autem ueteres in ӕs scripsisse inde apparet, quia receptum erat legem in ӕs incisam in ӕrarium condere, nec posthac, ut apud Tranquillum in uita Iulij legitur, eam corrigere licebat. Leges XII tabularum, ex quibus tanti iurisconsultorum thesauri tanquam ex perenni quodam fonte manauerunt, constat exceptas à Solonis legibus, quӕ axibus ligneis continebantur, fuisse in ӕs incisas, atque in foro propositas. Notum est ex historia, ӕrearum tabularum tria millia, quibus publica monumenta incidebantur, quӕ simul cum Capitolio conflagrauerant, Vespasianum Augustum ut restituerentur curauisse, cùm exemplaria, ex quibus illa transcripta fuerant, undique inuestigasset. Plato in Minoë scribit Talum apud Cretenses tempore Minois, & Rhadamanti circumtulisse per totam insulam tabulas ӕreas, in quibus leges erant insculptӕ, unde etiam ӕreus nominatus sit. Vt suspicari liceat tabulam ӕneam omnium uetustissimam hieroglyphicis Ægyptiorum characteribus effigiatam, quam inter reliquos diuitis sanctuarij thesauros asseruat Torquatus Bembus Petri illius Cardinalis filius, uir cùm multis nominibus commendandus, tum hoc maximè suspiciendus, quòd paternum musӕum non modò non imminuit, uerùm etiam indies augere sedulò studet, uix aliud quàm Ægyptiorum leges pandere. De hoc Talo ridicula narrantur. Aiunt enim hunc à Vulcano ex ӕre fuisse fabrefactum, Minoíque dono missum ad Cretensis insulӕ tutelam. Ter in singulos annos insulam obibat, excubias agens. Vnde Apollonius quarti Argonauticorum calce de eo cecinit:

τρὶς περὶ χαλκέοις κρήτην ποσὶ δινεύοντα: id est,

ter Cretam pedibus æneis lustrantem. Scholiastes ibi annotat toto corpore æreum fuisse, præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membrana tectum, qua dirupta, mors ei fataliter constituta fuerit, quod & Sophocles in Talo prodiderit, quæ tragœdia hodie non habetur. Zenodotus in prouerbijs quæ exstant, Simonidem allegat nouæ fabulæ auctorem, qui dicat Talum æreum uirum priusquàm in Cretam perueniret, in Sardiniam accessisse, ubi non paucos mortales neci dederit. Eustathius in uicesimum Odysseæ narrat, eum, quando necare aliquem uoluerit, in ignem desilire solitum fuisse: quandoquidem id sine uitæ periculo præstare poterat, quòd æreus esset: mox autem, ubi adeo incaluisset, ut canderet, comprehensum morti adiudicatum pectori suo admouisse, exusisseque. In Orphei quoque Argonauticorum calce hæc de eo leguntur:

ὅσσα τ᾽ ἄρ᾽ ἐν κρήτῃ πάθον ἄλγεα τετληῶτες:
χάλκεον τριγίγαντα δοκεύμενοι: Id est,

quantum malorum sunt passi in Creta æreum gigantem obseruantes. Alius fuit ab hoc Tolus, cuius caput inuentum dicitur in fundamentis templi Iouis, â quo, vt Arnobius scribit libro VI contra gentes, Capitolium appellatum est. Cæterùm usus æris, inquit Plinius libro XXXIV capite IX ad perpetuitatem monumentorum iam pridem translatus est, tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur. Quod autem in Capitolio forent publica monumenta, & leges, & fœdera in tabulis æneis scripta: testantur historici, & docet Polybius, qui refert in tertio fœdera, quæ inter Romanos, & Chartaginenses ista fuerunt, perscripta in tabulis æneis fuisse: quæ conspiciebantur in templo Iouis Capitolini, ubi ab ædilibus diligentissimè custodiebantur. M Tullius scribens in Catilinam

ait

ait æra legum in Capitolio fuiſſe tacta de cœlo, & li-
quefacta. Liuius quoque decadis IIII libro III
memorat conſulta olim fuiſſe relata in ædem Cereris
ad ædiles: & decadis primæ libro II fœdus ictum
cum Latinis fuiſſe inſculptum in ænea columna. Sed
& in primo Machabæorum capitibus VIII & XIV
legimus tum Romanos, tum Spartiatas reſcripſiſſe Iu
dæis tabulis æreis, quas Hieroſolymam miſerunt de
ſtabilienda cum eis amicitia, & ſocietate. Vltimo
loco reſtant libri ex inteſtinis animalium, de quibus
mentionem fecerunt Malchus Byzantius ſophiſta in hi
ſtoria, quam ab imperio Conſtantini uſque ad Anaſta
ſium deduxit: Georgius Cedrenus in compendio hi-
ſtoriarum â mundo condito, vſque ad Iſaacium Com-
nenum imperatorem: & Iohannes Zonaras annalium
tomo tertio, in hunc modum: Regnante Baſiliſco ma
ximum incendium Conſtantinopolim afflixit, quod
in foro ærario exortum, uicina loca omnia in cineres
redegit, & publicarum uiarum porticus, & ædes illis
impoſitas abſumpſit, ipſámque baſilicam, vnà cum bi
bliotheca, in qua centum uiginti millia librorum repo
ſita fuerunt: inter quos fuiſſe perhibetur draconis inte
ſtinum longitudine pedum centum uiginti, habens in
ſcripta litteris aureis Homeri poëmata Iliadem, &
Odyſſeam, cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum.
Petrus Gyllius uir eruditus, & ab totius orbis luſtran
dis, indagandiſque locis clariſſimus, tranſcribens lo-
cum iſtum in uiceſimum caput libri ſecundi de topo-
graphia Conſtantinopolis, ubi prædicti auctores ha-
bent δώδεκα μυριάδας βιβλίων, id eſt cētum uiginti mil-
lia librorum, ipſe non rectè ſexies centena millia vo-
luminum interpretatur. Quod ideo monendum exi
ſtimaui, ne quis in Gyllij locum offendens, crederet
ullam vnquam bibliothecam Alexandrina, non dicam

instructiorem, sed nec æmulam quidem ei exstitisse: quippe in qua ad millia ferme uoluminum septingenta incendio absumpta fuisse, testantur Gellius libri sexti calce, & Ammianus Marcellinus libro XXI historiarum: quanquam me non fugit, esse qui septuaginta millia legant: quorum sententiam probare non possum, quòd sciam scribere Plutarchum in vita Antonij, eundem Antonium dono dedisse Cleopatræ Ægypti reginæ nobilem Attalorum Pergami regum Bibliothecam, in qua sola supra ducenta millia fuisse feruntur in hædinis pellibus, siue membranis descripta: ut interim prætercam alia totidem, quæ Ptolemæus cognomento Philadelphus, qui Biblia in Græcum transferri curauit, Demetrij Phalerei diligentia conquisiuisse narratur â Iosepho libro XII antiquitatum Iudaicarum, capite II, & ab Eusebio libri octaui de præparatione euangelica principio.

MEMBRVM IIII.

Pugillarium enim vsum fuisse etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum.

Commentarius Guilandini.

CVm auctor adiacente proximè â tergo membro dixisset, uolumina priuata, antequam chartarū usus publicaretur, ceris confecta fuisse: ne non uera asseuerasse uideretur, protinus testem Homerum adducit, qui cerarum, siue libellorum ceratorum usum etiā ante Troiana tempora exstitisse fidem facere possit.

Nam

Nam quos Plinius hîc pugillares appellat, diſcrepare â ceris non niſi nomine docui præcedente commentario: uocantúrque ab eodem codicilli in extremo huius de papyro commentationis membro, ubi hunc ipſum poëtæ locum plenius his uerbis explicat. At cur, ſi iam hic erat uſus, in ipſa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos, non epiſtolas prodidit? Cæterùm locus iſte à Plinio deſignatus, habetur in Iliade ζῆτα in fabula Bellerophontis ad Euriem â Præto miſſi:

πόρε δ᾽ ὅγε σήματα λυγρά

γράψας ἐν πίνακι πυκτῷ θυμοφθόρα πολλά: id eſt, tradidit Prætus Bellerophonti litteras luctuoſas, deſcribens in tabula plicatili multa ad mortem pertinentia. Qui ab Homero πίναξ πυκτὸς dicitur, eum Plinius tribus expreſſit nominibus, cerarum, pugillarium, & codicillorum. Sed quòd epiſtolam fuiſſe negat, neſcio quomodo excuſare poſſimus. Si namque codicilli erant, quomodo non epiſtolæ erant? Codicillos enim propriè epiſtolas ſignificare, notius eſſe arbitror quàm ut pluribus demonſtrare habeam neceſſe. Cicero ad Quintum fratrem libro II: Epiſtolam hanc continuò efflagitarunt codicilli tui. Idem Leptæ libro VI epiſtolarum familiarium. Simul ut accepi, â Seleuco tuo litteras, ſtatim quæſiui ê Balbo per codicillos quid eſſet in lege. Hieronymus in epiſtola ad Nitiam: Turpilius Comicus tractans de uiciſſitudine litterarum: Sola, inquit, res eſt, quæ homines abſentes præſentes facit. Nec falſam dedit, quanquam in re non uera, ſententiam. Quid enim eſt, ut ita dicam, tam præſens inter abſentes, quàm per epiſtolas & alloqui, & audire quos diligas. Nam & rudes illi Italiæ homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi, ut in Rhetoricis Cicero ait ritu ferino uictum quærebant, ante chartæ, & membranarum uſum, aut in

dedo-

dedolatis ê ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epiſtolarum alloquia miſſitabant. Vnde & portitores eorum tabellarios, & ſcriptores â libris arborum librarios uocauere. Hactenus Hieronymus. Tranquillus in Caligula. Equiti Romano tumultuanti, per centurionem denuntiauit, ut abiret ſine mora Oſtiam, perferrétque ad Ptolomæum regem in Mauritaniam codicillos ſuos. Certè πίνακα πυκτὸν fuiſſe epiſtolam, teſtatur Euſtathius, nec aliter illum poëtæ locum exponit: quanquam notatam fuiſſe non uulgaribus litteris, ſed hieroglyphicis arbitratur, quòd elementorum, quibus ſcribimus uſus, & modus atramento, coloribúsque pingendi, recentius inuentum ſint, quàm ut Troianis temporibus cum veritate accommodari queant. Qua in re decipi Euſtathium, poſſem multis, & ualidis coniecturis oſtendere, niſi aliud hoc loco agerem. Equidem Philo ille Iudæus, qui propter multiplicem eruditionem, & ſummam in dicendo maieſtatem alter Plato ab antiquis cognominatus fuit, libro primo de uita Moyſis ſcribit, iam tum ex Græcia magnis præmijs euocatos in Ægyptum fuiſſe, qui Moyſem eloquentiam docerent, ſub quibus & plurimùm ille profecerit. Veruntamen ſi cui Euſtathij ſententia uerior eſſe uidetur, poterit per codicillos in Plinio tutò exponere libellos, non quidem litterarum characteribus notatos, ſed magis animalium, ſtirpiúmque figuris effigiatos. Nam & Plinius uocare epiſtolam videtur, quæ non niſi in chartis, aut membranis, communibus elementorum notis exarata mittitur. Quod non obſcurè indicant illa uerba, quæ habentur in hoc ipſo de papyro tractatu, ubi nonnulla antiquorum exempla aduerſus Varronis de chartis ſententiam recenſens, ad hunc modum infit. Præterea Mutianus ter conſul prodidit nuper ſe legiſſe, cùm præſi-

præsideret Liciæ, Sarpedonis à Troia scriptam in quodam templo epistolæ chartam. Sed redeo ad πίνακα, quem primaria significatione denotare tabulam siue asserem, multis Homeri locis manifestum fit, intelligitúrq; ex Aristophanis Ranis, ubi πινακιδὸν scholiastes exponit instar tabularum â nauibus ex tempestate, procellisque auulsarum, improbans Euripidem, qui pro fragmento, & minutis ramentis interpretatus fuerat. Quin & πινακίδες esse maiores nauium asseres perhibet. Quandoquidem verò priscæ illius ætatis homines, diuinos animorum suorum conceptus tabulis siue asseribus cera obductis stylo describebant penuriâ chartæ (vnde stylum uertere Cicero, & Horatius dixerunt, pro inducere, & quod styli parte aculeata scriptum erat, cito mox aduersa illius parte, quæ latior fieri solebat, delere, expungereque) factum est, vt πίναξ, πινάκιον, & πινακίδιον, pro libro quoque usurpari cœperint: quemadmodum & πυξὶς, πυξίον, & πυξίδιον, quòd ἐκ τοῦ πύξου, id est, ex buxo fierent, pro eodem dicebant, vt non minus rectè quàm doctè annotat Eustathius ad tertiam Iliadis rhapsodiam. Ob eandem caussam uasaria lignea, in quæ cibus, & potus inducitur, πίνακες nuncupabantur ab eisdem, παρὰ τοῦ πίνειν uerbo, potionem, comestionemque simul explicante, si eidem Eustathio credimus in ijs, quæ ad Odysseam π concinnauit. Homerus Odyssea α:

Δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀέρας
Παντοίων.

Vbi πίναξ significat lancem carnibus onustam. Quamobrem libro tertio dipnosophistarum rectè reprehenditur ab Vlpiano Aristophanes Byzantius, qui recens inuentum esse dictitabat, edulia ἐν πίναξι apponi. An non idem uates Odyssea sextadecima ita canit?

Τοῖσι δὲ αὖ πίνακας κρειῶν παρέθηκε συβώτης.

Ariſtophanes quoque in ea comœdia, quæ ab auibus inſcribitur, appellat πινακοπώλας caupones, tabernarios, & id genus nauci homines alios qui eſcas obſoniaque in lancibus venum exponunt. Vt magna prorſus admiratione ducar, quî interpreti in mentem uenerit, ut πίνακας eo loco, ex genere auium eſſe diceret: tametſi & Tzetzus quoque in Theogonia Polydorum Cadmi filium, πίνακα â quibuſdam uocatum eſſe annotat. Cæterum Æmilianus apud Athenæum teſtatur πίνακα pro uaſcolo inueniri etiam apud Metagenem ueteris comœdiæ ſcriptorem in Thurioperſis. In euangelio Matthæi XIV: δός μοι ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν ἰωάννου βαπτιστοῦ: des mihi in patina caput Iohannis Baptiſtæ. Et Lucæ XI: Νῦν ὑμεῖς οἱ φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε: nunc uos phariſæi exteriora poculi, catiniq́ue mundatis. Nec refert quod idem Euangeliſta capite I πινακίδιον poſuit pro σχεδάριον, hoc eſt tabella cerata, in qua olim, vt dixi, ſcribebant, quando eadem dictione uſos eſſe nonnullos pro indice, & librorum inſcriptione, memorat Gellius totius operis calce, & meminit Plinius in præfatione ad Veſpaſianum. Sed enim quia Plinius πίνακα πυκτὸν interptetatur pugillares, & codicillos, illud inſuper addendum reor, fuiſſe pugillares apud ueteres pluribus diſtinctos nominibus: alij quincuplices, alij duplices, quidam triplices nominabantur: ſinguli â numero foliorum quot continebant dicti. Erant & pugillares citrei, eborei, buxei, membranei dicti, qui ex citro, ebore buxo, membranis erant confecti. Erant etiam colore diuerſi, lutei, virides, crocei, purpurei. Erant demum & Vitelliani, â Vitellio, neſcio quo, appellati. Alexander libro II genialium dierum capite XXX tradit in triplicibus epiſtolas: in

quin-

quincuplicibus honores, & magiſtratus: in duplicibus ſiquid eſſet arcanum, & ſubticendum, interioresque animi notas magis perſcribi receptum fuiſſe. Ego triplices peculiariter fuiſſe rebus amatorijs dicatos, colligo ex Martialis apophoretis, illo diſticho:

Tunc triplices noſtros non uilia dona putabis,
Cùm ſe uenturam ſcribet amica tibi.

Ouidius libro II Amorum, duplices appellat tabellas, in quibus negauerat amica concubitum. Plautus in Pſeudolo inducit amatorem tabellas cereas ab amica ſcriptas perlegentem, quibus illa argentum depoſcebat. Apud Auſonium legimus bipatens pugillar: apud Herodotum δέλτιον δίπτυχον: apud Dionyſium σανίδιον δίθυρον, quod Homerus πίνακα πτυκτὸν dixiſſe uidetur, etiamſi ea appellatione omnes promiſcuè pugillarium differentias contineri nihil prohibeat. Pugillarium citreorum, eburneorum, quincuplicum, Vitellianorum, & membraneorum meminit Martialis loco citato. De buxeis Propertius libro III:

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo ſordida cera fuit.

Ex buxo etiam interdum litteræ fiebant ad prima elementa pueris tradenda. Vnde Hieronymus in epiſtola ad Lætam de inſtitutione filiæ: Fiant, inquit, litteræ uel buxeæ, uel eburneæ, & ſuis nominibus appellentur. Ludat in eis puer, ut & luſus ipſe eruditio ſit. Aurelius Prudentius περὶ στεφάνων deſcribens ſupplicium Caſſiani martyris, qui in foro Corneliano pugillaribus, & ſtylis diſcipulorum ſuorum confectus, atque minutiſſimis ictibus excarnificatus interijt, pugillaris, & ſtyli, quo pugillares pernotabantur, formam, vsúmque his uerſibus expreſſit:

Innumeri circum pueri, miserabile uisu,
Confossa paruis membra figebant stylis.
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Conijciunt alij fragiles inque ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curua tumens pagina.
Inde alij stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis sulcis scribitur.
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.

De codicillis multa grammatici, multa iurisconsulti, qui & de iure codicillorum integrum habent titulum, qui est libri XXIX pandectarum postremus. Iidem de tabulis exhibendis libro XLIII, titulo V, itémque de libellis dimissorijs, qui apostoli dicuntur, libro XLIX, titulo VI copiosè disserunt. Ego quòd Homeri mentio facta sit â Plinio, nequeo de eo silentium agere, in tanta eruditorum dissensione, de eius patria, luminum orbitate, & quo tempore uixerit ambigentium. Fuit autem clarissimum Homeri ingenium, &, ut Plinius libro VII, capite XIX, nec non & Velleius Paterculus in priori uolumine de eo scripserunt, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis, & fulgore carminum solus appellari poëta meruit, in quo hoc maximum est, quòd neque ante illum quem ille imitaretur, neque post illum qui eum imitari possit inuentus est. Quem si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est. Eum Herodotus Æolium fuisse affirmat: Heliodorus in tertio Æthiopicorum, Ægyptium, Thebis natum: Meleager Gadareus apud Athenæum libro IIII, capite XVIII. Syrum: Pindarus tum Smyrnæum,

tum

tum Chium: Ariſtoteles in poëtica Ienſem: Ephorus hiſtoricus Cumæum: Antimachus, & Nicander Colophonium: Ariſtarchus, & Dionyſius Thrax Athenienſem: Archilochus in libello de temporibus Mæonem: quidam Salaminium: alij Rhodium: nonnulli Argiuum: denique Simonides poëta lyricus Chium, cui ſententiæ ipſemet Homerus calculum porrigit. Nam in hymno, quem in laudem Apollinis decantauit, ita de ſe ipſo ſcribit.

τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ, ideſt

Vir qui luminibus captus Chion incolit altam.

De quo poëtæ uerſiculo, & omnibus Homeri hymnis, etſi Athenæus libro I dipnoſophiſtarum addubitaſſe uidetur: tamen Thucydides, qui illum multis ſæculis anteuertit, in tertij hiſtoriarum calce, legitimum, ac genuinum Homeri partum eſſe agnoſcit. Pauſanias quoque in Meſſenicis tria Homeri carmina recitat ex hymno in Cererem, quem nuſquam hodie exſtare, teſtatus eſt iamdudum Lilius Gyraldus in opere dijs gentium dicato, ſyntagmatis decimiſexti principio. Quidam eum interfuiſſe Troiano bello ſcribunt, teſte Plutarcho in libello, quem de uita eius condidit. Quod ipſum inficias eunt Ioſephus libro I de antiquitate Iudæorum contra Appionem: Thucydides ſtatim in principio ſuæ hiſtoriæ: Herodotus libro II, qui quadringentis nō amplius annis ante ſe uixiſſe Homerum opinatur: Ariſtarchus in commentarijs Archilochijs eo tempore uixiſſe eſt auctor, quo in Ioniam colonia eſt deducta, quæ fuit centum & quadraginta annis â bello Troiano. Ad quam ſententiam accedunt quàm proximè Philochorus, & Apollodorus, nec diſſentire uidetur Plinius, qui libro VII, capite XVI ſe mille annis Homero poſteriorem facit. Crates grammaticus nondum octoginta annos putat

inter-

interesse inter dirutum Ilium, & natum Homerum. Eratosthenes centesimo anno post captam Troiam, refert Homeri ætatem. Archemachus in tertio Euboicorum, & Euthymenes in Chronicis dicunt eum floruisse cum Hesiodo, tempore Acasti, & natum fuisse in Chio circiter annum ducentesimum post Troiam captam. Euphorion in opere de Aliadibus, dicit eum fuisse tempore Gygis, qui cœpit regnare octauadecima olympiade, quem etiam dicit primùm nominatum esse Tyrannum. Sosibius Lacon in descriptione temporum, redigit Homerum in octauum annum Charilli Polydecti. Ac regnauit quidem Charillus annis sexagintaquatuor: post quem filius Nicander annis trigintanouem. In tricesimoquarto regni eius anno perhibetur fuisse posita prima olympias, adeo ut esset utique Homerus nonaginta annis antequam posita essent olympia. Quod sensit quoque Cornelius Nepos, quemadmodum ex libris Chronicis Eusebij innotescit, in quibus hæc uerba scribuntur: In Latina historia reperimus, Agrippa apud Latinos regnante Homerus in Græcia claruit, vt testatur Apollodorus grammaticus, & Euphorbius historicus, ante urbem conditam annis CXXIIII, &, ut ait Cornelius Nepos, ante olympiadem primam annis centum. Sententiæ Nepotis, & Sosibij aduersatur Archilochus, qui se Homero coætaneum profitetur in eo libello, quem supra citaui, reponens eum in olympiadem XXIII, & in annum â Troiæ excidio quingentesimum. Quam sententiam habet etiam Theopompus in quadragesimotertio rerum Philippicarum: & sequitur Tertullianus in Apologetico aduersus gentes. Vtut sit, certè Homerus in primo Odysseæ libro, Phemium præceptorem suum psallentem in procorum conuiuio inducit, nisi hoc ambitiosè nimis fecerit in gratiam magistri pa-

rùm

rùm seruata ratione temporum: quanquam non ignoro quid Platoni uisum fuerit, qui Socratem cum Timæo disputantem inducit, quos constat eodem sæculo non fuisse. Quo exemplo permotus Macrobius, scribit in primo Saturnaliorum capite, annos coeuntium mitti in digitos non conuenire. Verùm quæ ad hanc disquisitionem pertinent, non ita pridem doctissimo inclusit libello Carolus Sigonius & ipse doctissimus, adeóque omnium huius sæculi litteratorum princeps & coryphæus, quo antesignano Bononiensis academia multùm supra alias Italiæ scholas sese extollit: quem ut Deus, diui, diuæque omnes diu sospitent, incolumémq; seruent, obnixè rogo.

MEMBRVM V.

Illo uerò prodente ne terram quidem ipsam totam fuisse, quæ nunc Ægyptus intelligitur, cùm in Sebennytico saltem eius nominis charta nascatur: postea adaggeratam Nilo: siquidem à Pharo insula, quæ nunc Alexandriæ ponte iungitur, noctis, dieíque velifico nauigij cursu terram fuisse prodidit.

Correctio Guilandini.

Illo verò prodente ne terram quidem ipsam totam fuisse, quæ nunc Ægyptus intelligitur, cùm in Saitico saltem eius nominis charta nascatur: postea adaggera

tam

tam Nilo: siquidem â Pharo insula, quæ nunc Alexandriæ ponte iungitur noctis, dieique uelifico nauigij cursu terram absuisse prodidit.

Commentarius Guilandini.

QVanquam Ægyptios in arroganda sibi incredibili vetustate, & certa rerum gestarum memoria supra nouem annorum millia, quos iam olim Plato in Timæo commemorauit, turpiter deceptos fuisse non dubito: tamen propemodum inter omnes conuenire animaduerto, secundum Assyriorum regnum, quo nullum nouimus uetustius, uix aliud Ægyptio antiquius inueniri. Hoc, non ut Italia omnium in toto orbe, & quacunque cœli conuexitas vergit pulcherrima, â borea in austrum procurrit, sed contrà â meridie in aquilonem porrigitur, nec ut illa accessum cunctarum gentium facilem nacta est, sed arduum planè, & undique impeditum, atque obstructum. Etenim ab occasu non solùm Lybycis clauditur montibus, ijsque perarduis, verùm etiam Marmaricis, Cyrenaicisque desertis, tantæ quidem vastitatis, vt nemo ea ante vicesimum diem transire valeat. Ab ortu autem habet montana Arabiæ, vnà cum spatiosissimis, atque arenosis campis, qui me abhinc annos duodecim Hierosolyma digressum exceperunt apud Gazam Sampsonis & Philisteorum ruina clarissimam, nec inde ante duodecimum diem Heropoli, & proximæ ei Babyloni pedem sistere permiserunt. Dein â meridie Æthiopia est, & asperrimorum prærupta montium, vbi cataractæ uisuntur, hoc est præcipites, & horridæ montium angustiæ, per quas Nilus ingenti aquarum mole deuolutus, non fluere inter occursantes scopulos, vt ait Plinius, sed ruere videtur. Demũ â septentrione importuosum

pelagus

pelagus, mare infidum, & raris ibi portubus hospitale mediterraneum nostrum obtinet. His limitibus comprehensum totius Ægypti terrarum tractum, auctores duplicem in longitudinem diffindunt, lineis quasi decussantibus sese, ab austro nimirum in boream, atque ab ortu in occasum protensis. Quandoquidem uerò uniuersam Ægyptum unus tantummodo amnis irrigat, qui eam in æquas propemodum partes scindit: sumpto diuisionis exordio ab Nili præterfluentis aquarum decursu, orientalem Ægypti partem appellauerunt, quidquid inter montes Arabicos, & ipsum Nilum interiacet. Quod uerò â Nilo ad Libycos montes porrigitur, pars Ægypti occidentalis esse censetur. Rursus ab eo loco, quo diuidere se, dextraque, & læua digredi Nilus incipit, ferè triquetram efficiens formam, Græcæ litteræ Δ adsimilem, unde & loco nomen datum Delta, partem Ægypti inferiorem nuncupauerunt: quēadmodum quod â summo Deltæ uertice ad cataractas usque pertinet, superiorem. Ex quibus celebratissimæ illius Ægypti partibus, non fuisse aliquando inferiorem, quam Deltam uocari dixi, sed stagnantis Nili deuecto limo subsidente, post Homeri tempora enatam credidit Herodotus, qui libro II suæ historiæ ceu manifestum, ratúmque accipit, Ægyptum, in quam Græci nauigant, εἶναι ἐπίκτητόν τε γῆν, καὶ δῶρον ποταμοῦ, id est, accessionem esse terræ, ac fluminis donum. Nec hoc contentus, maris sinum fuisse ait etiam superiorem Ægypti partem, quantum sanè terrarum inter Arabicum, Libycúmque montes supra Memphim ad Thebas, & Elephantinam usque interiacet, aquis immersam delituisse asserens. Heliodorus quoque in nono Æthiopicæ historiæ narrat Ægyptios Nilum magnis laudibus attollere, nec fertilitatis solùm, uerùm etiam totius Ægypti auctorem ap-

pellare: superioris quidem seruatorem, inferioris uerò patrem, & opificem, nouum limum quotannis aduoluentem. Vnde â Seneca libro naturalium quæstionum IIII capite II scribitur Ægyptum non tam terrarum fertilitatem, quàm ipsas terras Nilo debere. Idem in VI earundem quæstionum, capite XXVI Turbidus, inquit, defluens Nilus, multúmque secum limum trahens, & eum subinde apponens prioribus terris, Ægyptum annuo incremento semper ultrà tulit. Nec dissentit ab ijs magnus ille Stagyrita scholæ Peripateticorum antistes, qui, ut canit Lucretius libro tertio sui poëmatis de Epicuro,

genus humanum ingenio superauit, & omnes
Præstinxit stellas, exortus uti ætherius Sol.

Nam libro I. Meteorologicorum, capite XIV Ægyptus, ait, tota fluminis tantùm inuectu nata est. Quinetiam antiquitus tota Ægyptus unis Thebis constabat, id quod & Homerus declarat, qui Thebarum, non uerò Memphis meminit. Et paullò post: Tota namque Ægyptiorum regio, quos hominum antiquissimos esse dicimus, facta, ac Nili opus esse uidetur. Hæc Aristoteles. Quorum auctorum testimonio suffultus Plinius, ut interim prætercam Diodorum, Eratosthenem, Strabonem, alios non paucos, nō est ueritus prodere Ægyptum inferiorem, hoc est Deltam, Homero poësim suam condente, delituisse, ac postea adaggeratam Nilo, primùm profunda emersisse palude. Ex quo, cæterísque istius sententiæ assertoribus, gratum mihi esset cognoscere, num Homeri tempore erant Canopus, Sais, Tanis? Atqui Menelaus, deuicta Troia, in Ægyptum ui uentorum delatus cum Helena Canopum appulisse in quarta Odyssea narratur, ubi etiam nobile illud nepenthes, omnibus utique mortalibus ab Helena propinandum, plenis faucibus hausit.

Sed & Amaſis rex, qui Appioni eſt Pharao ille, cuius cor cõtra Moyſem Deus indurauit, Ioſepho Techmoſis, Euſebio Cenchres, Artabano Nechefres uocatus, ortus ſui primordia, Sai maximæ tunc ciuitati accepta refert teſte Herodoto in Euterpe, & confirmante Platone in Timæo, qui etiam Solonem non multis annis Herodoto poſteriorem perueniſſe ad Saiticos memorat, â quibus multa de Athenienſium antiquitate didicerit. Tanim autem, in qua Moyſes ſexcentis amplius annis Homero antiquior præclara illa, & ſtupenda miraculorum facinora edidit, etiámne Homero iuniorem dicemus? Dauid pſalmo LXXVII: Coram patribus eorum fecit miracula in terra Ægypti in campo Taneos. Eſaiæ XX: Stulti Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Tanta verò eſt ciuitatis iſtius antiquitas, ut Moyſes Numerorum XIII ſeptem tantummodo annis recentiorem faciat Hebrone, quam Hebronem inhabitauit Abraham patriarcha referente Ioſepho libro I antiquitatum Iudaicarum, capite IIX. Quin & Suidas annotatum reliquit Tanim fuiſſe Pharaonis regiam. At uerò ciuitates illæ omnes ſitæ erant in parte Ægypti inferiore, in qua etiam ad præſentem uſque diem ſuperſunt, licet nouis nominibus quàm ueteribus notiores. Canopus quidem collocata eſt inter Alexandriam, & angulum Deltæ baſis occidentalem prope oſtium Canopicum, quod Ptolemæus, & Diodorus libro I capite III Heracleoticum nuncupant, hodie appellatione Bicheri clariſſima, quæ ipſa ad oſtium quoque pertinet. Tanis uerò inter Peluſium, & angulum baſis Deltæ orientalem, in oſtio Tanitico poſita eſt, priſcam aliquatenus nomenclaturam etiamnum conſeruans, cùm Damiatam uocari ſe audit, nomine tum ſibi, tum oſtio communi. In magno nan-

que errore uersatur Paullus Iouius clarissimus historiarum scriptor, qui Damiatam antiquitus Heliopolim, Pelusiúmque fuisse contendit. In cuius sententiæ confirmatione tam turpiter errat, quàm qui lippire non lemis, sed ollis agnoscitur, quando Pelusium, & Heliopolis non minori interuallo dissident, quàm Venetiæ, & Mediolanum. Deinde Pelusium imminet mari mediterraneo, ex quo ad illud plena uelificatione peruenitur: Heliopolis uerò longius â mari recedit, quàm ut nauigio adiri possit, atque ubi ei proxima sit, adhuc supra centesimum lapidem abest. Denique ostium Pelusiacum, ubi Pelusium, omnium orientalium ultimum est, si Ptolomæo, & Straboni credimus, nec â natura, sed ab arte institutum fuit. Damiata uerò penultimo assidet, quod ostium naturæ non artis opus esse, norunt quicunque Deltam Ægypti curiosius lustrauere. Quo argumento ut liquidò conuincitur Damiatam non esse Pelusium, sic certè fuisse Tanim non obscurè probatur, â qua ostium Nili uicinum Taniticum, nunc autem corruptè Damiaticum dicitur. Heliopolis autem nomen suum adhuc integrè tuetur, non quidem Græcum illud, sed Arabicum Bethsemes, quod, si interpretari libet, idem est ac si dicas domus solis, Beth domum, Semes solem significante. Demum uerò in angulo, qui Deltæ uertex siue cuspis est, ubi Nilus in duos amplissimos truncos, nusquam postea concurrentes, finditur, iacet Sais, quam Strabo libro ultimo, totius Deltæ metropolim esse, & duobus schænis, hoc est quindecim passuum millibus distare â flumine tradit. Eius meminit Plato eodem loco, quem supra indicaui, Critiam ab hoc exorsum principio scribens. Est quædam in Ægypti Delta, circa cuius uerticem scinditur Nili fluxus, præfectura, quæ Saitica appellatur. In ea præfectura, maxima ciuitas est

Sais,

Sais,unde & Amaſis rex erat. Ego inſpecta diligenter locorum poſitione, facilè mihi perſuadeo, Saim eo loco ſitam fuiſſe, ubi hoc tempore iacet Sibnit,non minima in Delta ciuitas. Vbi commonendus mihi eſt lector, ciuitatem, ipsámque planitiem vniuerſam, in qua Moyſes miraculorum magnitudine Ægyptum terruit, ac pæne ſubuertit, uocari ab Hebræis Soan, â Septuaginta Tanim. Quæ Tanis, ea non eſt quam Damiatam uocari dixi, ſed Sais, quam Sibnit quod partim prima uocabulorum littera oſtendit, partim ratio, & auctoritas euincit, ſi, quo itinere Iudæi ſint uſi in egreſſu ex Ægypto, conſiderare uoluerimus. Nam ſi Damiatam profecti fuiſſent, non erat neceſſe ut ad mare rubrum deſcenderent: ſed nec potuiſſent tertia manſione eò peruenire, quantumuis ſinguli equos ad curſum diſpoſitos conſcendiſſent, tanta eſt arenarum, quas tranſire oportet, immenſitas. Sed Ioſephus quoque libro II antiquitatum Iudaicarum, capite V ſcribit Iſrahelitas primo ſtatim exitus ſui die, iter feciſſe per Latopolim, tunc deſertam, ubi poſtea condita fuit Babylon, â Cambyſe Ægyptum uaſtante: quam Babylonem hodie Cairum dici, nemo præter Iouium ignorare uidetur, qui Cairum facit Memphim, quæ in parte Ægypti occidentali, ubi pyramidum miracula, inuenitur, Cairo in orientali collocato. Tanis igitur, quam ſacra biblia habent, eadem eſt cum Sai, quam Saim aliquando uocatam fuiſſe Tanim, colligitur ex Strabone libro citato, vbi oſtium Taniticum nominari etiam Saiticum annotat, quaſi non à Tani, quæ Damiata eſt, ſed â Sai appellatum fuerit. Quod ſequuti Septuaginta, Soan, uerterunt Tanis, aliquando etiã Taphnis: qui, ſi Sais dixiſſent, minus laboraremus qui nam ſint campi Taneos in ſacris litteris nuncupati. Non parua autem admiratio me tenet, quod

iidem

ijdem in Ezechiele capite XXX Sin, quod Pelusium esse uidetur, conuerterunt modò σαΐν, modò ἠσαΐν, nisi deprauati sint, quod ferè suspicor, codices, quos Cephalæus Argentorati excudit. Adscribam ipsissima uerba Græcè, Latinè, Hebraicè, ut intelligat lector, nihil temere esse pronunciandum de nominibus, quæ ad geographiam in uetere instrumento pertinent: Τάδε λέγει κύριος κύριος: καὶ ἀπολῶ βδελύγματα, καὶ καταπαύσω μεγιστᾶνας ἀπὸ μέμφεως, καὶ ἄρχοντας ἐκ γῆς αἰγύπτου, καὶ οὐκ ἔσονται ἔτι, καὶ ἀπολῶ γῆν παθούρης, καὶ δώσω πῦρ ἐπὶ τάνιν, καὶ ποιήσω ἐκδίκησιν ἐν διοπόλει, καὶ ἐκχεῶ τὸν θυμόν μου ἐπὶ σαΐν τὴν ἰσχὺν αἰγύπτου, καὶ ἀπολῶ τὸ πλῆθος μέμφεως, καὶ δώσω πῦρ ἐπ᾽ αἴγυπτον, καὶ ταραχῇ ταραχθήσεται ἡ ἠσαῒς, καὶ ἐν διοπόλει ἔσται ἔκρηγμα, καὶ διαχυθήσεται ὕδατα, νεανίσκοι ἡλιουπόλεως, καὶ βουβάστου ἐν μαχαίρᾳ πεσοῦνται. καὶ αἱ γυναῖκες ἐν αἰχμαλωσίᾳ πορεύσονται. καὶ ἐν τάφνας συσκοτάσει ἡ ἡμέρα ἐν τῷ συντρίψαι ἐκεῖ τὰ σκῆπτρα αἰγύπτου. Quæ in uulgata editione sic Latinè facta leguntur: Hæc dicit dominus deus: Et disperdam simulacra: & cessare faciam idola de Memphis: & dux de terra Ægypti non erit amplius: & dabo terrorem in terra Ægypti: & disperdam terram Phathures: & dabo ignem in Taphnis: & faciam iudicia mea in Alexandria: & effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti: & interficiam multitudinem Alexandriæ: & dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium: & Alexandria erit dissipata: & in Memphis angustiæ quotidianæ. Iuuenes Heliopoleos, & Pubasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur. Et in Taphnis nigrescet dies, cùm contriuero ibi sceptra Ægypti. Hebraica ueritas hoc modo; Hæc dicit dominus deus: Et disperdam simulacra: & cessare faciam idola â Noph: & dux de terra Ægypti non erit amplius: & dabo terrorem in terra Ægypti: & disperdam terram Patheros;

& dabo

& dabo ignem in Soan: & faciam iudicia mea in No: & effundam indignationem meam super Sin robur Ægypti: & interficiam multitudinem No: & dabo ignem in Ægypto: quaſi parturiens dolebit Sin: & No erit diſſipata: & in Noph anguſtiæ quotidianæ. Iuuenes Auen, & Phibeſeth gladio cadent, & ipſæ captiuæ ducentur. Et in Soan nigreſcet dies, cùm contriuero ibi ſceptra Ægypti. Sed ut ad id unde digreſſus ſum reuertar, neminem eſſe tam obſtinata ceruice arbitror, quin fateatur uerſari in errore Plinium, Herodotum, Ariſtotelem, Heliodorum, Senecam, alios omnes, qui Deltam ſiue partem Ægypti inferiorem, tempore Homeri nondum in naturam prodijſſe pueriliter nimis ſcriptis inſeruerunt. Certè iuſtiſſimè quis uiris iſtis obiecerit, quod olim flamen Ægyptius Soloni, Græcos ſemper pueros eſſe, nec quenquam in Græcia ſenem inueniri affirmans. Quam Græcorum circa cognitionem antiquitatis ridendam infantiam, copioſè proſequitur ſacrificulus ille eodem in loco, & magnopere poſt eum eleuat Ioſephus in principio ſtatim operis, quod contra Appionem condidit. In quo docere uolens non â Græcis antiquarum rerum hiſtoriam requirendam eſſe, ſed ab Ægyptijs, & Chaldæis, quorum fuit inſtitutum, ut eorum ſacerdotes, & philoſophi circa ſcribendam hiſtoriam uerſarentur, mirari ſeſe inquit eos, qui tantum Græcis tribuunt in hiſtoria, cùm ipſe docere paratus ſit Greços non modò adulto iam mundo, vt ita dicam, ſed etiam propemodum ſeneſcente natos, eorúmque inuenta omnia eſſe recentia. Adhæc ait, quod ſi non uanis opinionibus accommodare aſſenſum uolumus, ſed ab ipſis rebus ueritatem ſumere, uniuerſa quidem apud Græcos recentia inuenimus, heri, ut dicitur, acta, aut nudiuſtertius: urbes inquam, cõditas, artium commenta-

mentationes, & leges populis ſcriptas. Proinde qui uetuſtæ hiſtoriæ ueritatem noſſe cupiat, hunc oportere dicit ab Ægyptijs, Tyrijs, & Chaldæis exquirere. Ex quibus auctoribus Ioſephus mira diligentia ſacræ hiſtoriæ auctoritatem confirmauit, in duobus illis libris, qui inſcripti ſunt, de antiquitate Iudæorum refutatorij contra Appionem illum grammaticum, quē Tiberius Cæſar cymbalum mundi uocabat, cùm, ut ait Plinius in præfatione ad Veſpaſianum, publicæ famæ tympanum potius uideri poſſet. Porrò autem etſi in Delta contineatur non ſolùm Saitica regio, uerùm etiā Sebennytica, Ptolemæo, & Strabone teſtibus, ne tamen legam apud Plinium in Sebennytico, ſed ut potius in Saitico legendum putem, facit tum quòd nullum chartæ genus uocari Sebennyticum comperio, tum quòd Plinius capite XII Saiticam chartam bis in ordinem redigit, ab oppido Sai nominatam inquiens, ubi maxima papyri fertilitas. Neque probo Sebaſtianum Foxium, qui in commentarijs, quos ad Tymæum Platonis adiecit, Sebennyticum oſtium, & Taniticum pro uno eodémque accipit. At cùm ego paullò antè dixerim Tanim, quam ſacra pagina effert, eandem mihi uideri cum Sai, poſſet aliquis cogitare Sebennytam, & Saim unius eſſe ciuitatis nomina, atq; ideo nihil referre utro denique modo, ſiue Sebennytico, ſiue Saitico apud Plinium legamus. Verùm Foxij aſſeueratio longius abeſt â ueritate quàm ut multo etiam labore conciliari ei potis ſit: quandoquidem Strabo eodem libro, quo hucuſque frequenter vſus ſum, ita inter Saim, & Sebennytam diſtinguit, ut oſtia quoque, quæ ab eis denominationem acceperunt, toto cœlo ſeparet, Saiticum, quod Taniticum eſt, in oriente conſtituens, Sebennyticum contrà in occidente: quod & Ptolemæum feciſſe, non ſolùm diligens le-

ctor animaduertet, uerùm etiam Herodotum libro ſupra citato, apertiſſimè diſcreuiſſe inter oſtium Sebennyticum, & Saiticum inueniet. Cæterum quia auctor Ægyptum inferiorem tempore poëtæ nondum natam fuiſſe dixerat, uolens eius dicti rationem reddere, utitur prouocatione ad ipſummet Homerum, qui libro quarto Odyſſeæ ſcribit â Pharo inſula noctis, & diei curſum in obiectam ei Ægyptum fuiſſe. Verba Homeri hæc ſunt:

Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε. φάρον δὲ ἑκικλήσκουσι,
Τόσσον ἄνευ θ᾽ ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν. Id eſt,

inſula murmurabundo in ponto contra Ægyptum iacet, quam Pharum appellant: tantum ab ea ſemota, quãtum nauis pro ſpero utens uento toto die conficere ualet. Seneca libro VI naturalium quæſtionum, capite XXVI exponit hunc locum his uerbis. Tantum enim, ſi Homero fides eſt, aberat â continenti Pharos, quãtum nauis diurno curſu metiri plenis lata uelis poteſt, ſed cõtinenti admota eſt. Turbidus enim defluens Nilus, multúmque ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens prioribus terris, Ægyptum annuo incremento ſemper ultra tulit. Inde pinguis, & limoſi ſoli eſt, nec ulla interualla in ſe habet, ſed creuit in ſolidum areſcente limo, quo preſſa erat, & ſedens structura, cùm partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire poterat, cùm ſolido liquidum, ac molle ſemper accederet. Hæc Seneca. Sed Plutarchus quoque in Iſide, & Oſiride, Pharum, inquit, inſulam, quam diei curſu ab Ægypto diſtantem notat Homerus, nunc eius conſpicimus eſſe partem, Nili beneficio continentem factam. De poëtæ aſſertione iam olim dubitatum fuiſſe, recitat Strabo libro primo, perinde

ac per ignorantiã Pharum pelago ambîtam cõcinerit. Qui Strabo etiamsi strenuè ei patrocinari satagit: tamen quia pro confesso accipere uidetur inferiorem Ægyptum uiuente illo nondum exstitisse, fit ut non minus Strabonis quàm Homeri sententiam suspectam habeam. Quomodo nanque Pharus tam longè â continente abesse potuit, si illo ipso in loco, ubi etiamnum Alexandria sita est, uiuente Homero, ingens admodum ciuitas No, siue No Ammon exstabat? De ea frequens mentio habetur in Biblijs. Nahum tertio: Nunquid melior es No Ammon, quæ habitat in fluminibus? Etsi uerò quo tempore floruerit Nahum, non legitur in sacris litteris: tamen in Chronicis Hebræorum dicitur floruisse eodem tempore quo Ioël, & Abacuc, tempore scilicet regis Manassis impij, qui Esaiam interfecit, statuámque suam posuit quinque facies habentem. Is Manasses, si Eusebianam supputationem sequare, regnare cœpit Olympiade XVII: cùm Homerus olympiade XXIII adhuc in humanis fuerit, Archilocho, Theopompo, & Tertulliano testibus. Sed ut Homerum Troiæ quoque excidio æqualem faciam, quod Manassem infra quingentos annos præcessit: non tamen probabile fiet, eam continentis Africæ portionem, ubi nunc Alexandria posita est, tam longè ab insula Pharo abfuisse atque Homerus cecinit. Nam Canopus, ad quam post Troiæ captiuitatem Menelaus, & Helena diuerterunt, non ultra XV pass. millia â Pharo, itémque ab Alexandria distat. Atqui nauis per integrum diem uento secundo impulsa, non quindecim milliaria Italica tantum conficiet, uerùm quinquaginta potius, quinimmo centum, & plura, quot me non rarò cùm fuit commoda nauigatio confecisse memoria teneo: cùm impetuosa, etiam ducenta & amplius. Quod ipsum

non

non sine maximo uitæ periculo tunc expertus fui, cùm depositis grauibus duræ captiuitatis uinculis apud Assanem Hariadeni illius Barbarossæ filium Algerij Proregem, rediens ab Africa in Europam, sæua tempestate in Mauritaniam fui reiectus, ubi ad promontorium Apollineum horribili facto naufragio, submersis qui eadem naue uehebantur uigintiquinque natandi peritis, ipse, quòd artem eam nunquam didicissem, impositus tabulæ rudiori, & arctè funibus ligatus, inter frequentes scopulos, & asperrimas cautes diu miserabiliter iactatus, & toto corpore saucius, uix tandem semianimis, ac omnibus prope sensibus orbatus â socijs in proximum litus extractus fui. Quî ergo Pharus integræ diei felice nauigatione â continente abfuisse, & alto in pelago stetisse narratur? Nisi fortè rationem nauigiorum minus fortasse commodam Homerum excusare dicendum sit. Potuerunt enim tempore Homeri non ita commodè conformata, ideòque minus expediti cursus fuisse, quàm nunc sunt nauigia. Aut sanè etiam hac ratione eum quis exponat, quòd nempe non totius omnino completè diei iter illud fuisse dicere uoluerit: sed quòd innuat omni die illud iter naui confici potuisse, si non fuerit uentus contrarius: sicut etiam Venetijs Clodiam omni die iri, atq; inde etiam similiter omni die rediri potest: si uentus non impediat. Sæpe uerò etiam hoc iter, quod est inter Venetias, & Clodiam quatuor dierum nauigationem requirere, quando nempe uentus remoratur progressum, nemini non constat, qui istac iter fecit. Ieremias XLVI: Ecce ego uisitabo super tumultum No Ammon, & super Pharaonem, & super Ægyptum. Ezechiel loco supra indicato: Et faciam iudicia mea in No, & interficiam multitudinem in No. In quibus locis omnibus editio uulgata pro No, & No Ammon, habet Alexan-

 dria,

dria, graues in primis testes sequuta, Chaldæum para phrastem, & diuum Hieronymum splendissimum ecclesiæ militantis doctorem, qui exponens uerba illa Nahum paullò antè commemorata, non aliter sensisse agnoscitur. Non quòd eo tempore, inquit, Alexandria uocaretur, quippe quæ longo post tempore ab Alexandro magno Macedone nomen accepit: sed quia sub nomine primo, id est No, semper Ægypti metropolis fuerit, & abundantissima populis, unde & No Ammon dicitur, No Alexandriam, Ammon multitudinem siue populos significante. Denique & qui res gestas Alexandri memoriæ tradiderunt, principem eam fuisse Ægypti autumant. Hactenus Hieronymus. Idem in epistola ad Eustochium uirginem, qua erigit epitaphium Paullæ matri: Veniam, ait, ad Ægypti fluuium Sior, qui interpretatur turbidus, & quinq; Ægypti transeam ciuitates, quæ loquuntur lingua Chananitide, & terram Gessen, & campos Taneos, in quibus fecit deus mirabilia: & urbem No, quæ postea uersa est in Alexandriam. Vt ut autem res de Pharo habet, certè Philo Iudæus, patria Alexandrinus, de quo illud circumfertur, aut Plato philonizat, aut Philo platonizat, libro II de uita Moysis, itémque Iosephus libro V de bello Iudaico, capite XI. nec non & Hegesippus libro IV de bello Iudaico, capite XXVII: itémque Strabo libro ultimo, scientes Pharum non esse insulam: tamen haud uerentur νῆσον insulámue appellare. Νῆσος, inquit Philo, ἡ φάρος ante urbem Alexandriam sita est, oblonga, & fasciæ simili ceruice accessibilis: quæ non alto mari, sed stagnantibus undis alluitur, ut ne fluctus quidem, nimirum spatio medio debilitati, obstrepant. Hanc ceruicem Plinius uocat hic pontem, sequutus Strabonem, qui & ipse γέφυραν nominat, quando non naturæ annisu, sed

opera

opera hominum congesta sit, quemadmodum testatur Ammianus Marcellinus libro historiarum XXII. Cuius uerba libet subscribere, tum ut Plutarchi error innotescat, qui Pharum insulam Nili beneficio factam continentem credidit, tum ut pateat non unam Rhodopen Æsopi fabularum philosophi conseruam, maximis quibusque regibus æmulationis stimulum iniecisse, substructa pyramide, minima quidem, sed omnium laudatissima: uerùm etiam Cleopatram illam, nobile M Antonij scortum, præstitisse quod pauci quantumuis magno animo uiri imitari uelint. Vt rubori esse debeat nostri sæculi dynastis, excellentissima in abiecto sexu animaduertentibus, ne mediocria quidem præstare. Insula, inquit Ammianus, Pharos, vbi Protea cum Phocarum gregibus diuersatum Homerus fabulatur inflatius, â ciuitatis Alexandrinæ litore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia uectigali. Quod cùm inde quidam nimium quantum petituri uenissent, Cleopatra callida semper in fraudes, solennium specie feriarum ijsdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus iusserat irrequietis laboribus consummari, & septem diebus totidem stadia molibus iactis in mare solo propinquanti terræ sunt uindicatæ. Quô cum uehiculo ingressa, errare ait Rhodios, insularum non terræ portorium flagitantes. Quæ Marcellini uerba declarant locum Iosephi libro XII antiquitatum Iudaicarum capite II, ubi uerba faciens de Iudæorum lege in Græcam linguam conuersa, ita scribit. Quarto die Demetrius, assumptis LXXII interpretibus, transiuit aggerem illum septem stadiorum, & γέφυραν, id est pontem, qui insulam Pharum continenti adiungit. Hæc illa est Pharus, quam post turrem inter septem orbis spectacula annumeratam, in immensum nobilitauit insolens Septuagintaduorum uirorum

miracu-

miraculum, qui sancti spiritus afflatu sacra Hebræorum volumina de Chaldaico Græca fecerunt. Nam Ptolemæus, non quidem Lagus, quod Irenæus credidit, sed Philadelphus, tertius ab Alexandro Ægypti rex, Tertulliano, Eusebio, Epiphanio, Philone, Iosepho testibus, inflammatus desiderio sacros Iudæorum libros cognoscendi, curauit ingentibus ab Iudæa expensis Alexandriam adduci uiros LXXII utriusque linguæ peritos, quorum studio, ac diligentia uetus quod uocant testamentum moneta percuteretur Græca. Sed ueritus, ne si inuicem consultarent, ueritatem absconderent, eos omnes in insula Pharo in singula contubernia separauit, iussitque ut quisque pro se librum eundem transferret, atque eo in singulis libris ordine seruato, opereque perfecto, omnibus mox conuocatis, & per libros singulos interpretationem suam unoquoque eorum proferente, ita omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab uno tantùm traductiones omnes emanassent. Neque tamen ignoro, esse qui rem aliter gestam narrent, & ipsum quoque Augustinum, in epistola quadam ad diuum Hieronymum scripta, non ausum fuisse certò aliquid pronunciare: uerùm si ego Philoni eodem loco, quem postremò citaui, Iustino Martyri in oratione ad gentes, & diuo Irenæo libro III aduersus hæreses, capite XXV assensum præbeam, leuitatis accusari non debeo. Prætereundum non est quod Pharicum veneni erat genus, μηδικὸν quoq; nuncupatum, quemadmodũ annotat Nicandri scholiastes, seu ab inuentore dictum Pharico Cretense uenefico, ut placet Praxagoræ: uel ab Arcadicis Pharis, ut nonnullis: uel â Phæris in Thesalia, ut quibusdam: uel ab ea quæ est in Lacedæmonia Pharis, ut alijs: uel denique â Pharo insula, ut ego suspicor. Vndecunque uerò uenenum hoc nomen habeat, de eo nihil interest.

Pecca-

Peccatum autem illud Matthæoli flagris dignum est, quod ipsum etiam de se prodere in rhapsodijs ad sextum Dioscoridis librum non puduit: dum scripsit: se apud nullum scriptorem consequi potuisse, simpléxne an compositum esset medicamentum pharicum. Quis enim æquo animo ferat tam supinam negligentiam? Decuít ne, eum, qui antesignanus Dioscoridis interpres haberi uult, tam lippis oculis legisse, quæ ipsemet Dioscorides habet? An nõ in methodo vniuersali curandæ malignitatis uenenosæ pharicum palàm inter plantas reponit? Stirpes, inquit, sunt; smilax, quam Romani taxum appellant: solanum manicum, quod & dorycnium dicitur: ranunculus Sardonius: papauer corniculatum: pharicum. Scribonium uerò Largum etiámne inspexit unquam? Nam Hesychium non legisse eum minus miror, quando, si uelit, non possit. Atqui uterque pharicum ex pluribus componi scribit. Potius ergo nihil commenti scribat Matthæolus, quàm quòd suam tantam & ignorantiam, & negligentiam apertè prodit. Philarchus in sexto historiarum, referente Athenæo libro dipnosophistarum tertio, memoriæ prodidit cotonea mala odoris sui prĕstãtia lethaliũ uenenorum uires retundere, eorúmq; uehementiam hebetare. Addit, pharicum, præsens alioquin uenenum, in patinam adhuc cotoneum, uel eius salgamum olentem inditum, ignauum fuisse, ac elanguidum: nec non â peculiari sua natura, uiribus exhaustis, defecisse: ac ita incolumes, & illæsos euasisse omnes, quos insidiantes uenefici eo potionarant. Idque tandem compertum fuisse illorum relatu, qui uenenum uendentes, rem ita habere deprehenderant. Ex qua Philarchi asseueratione conijcere licet, pharicum, aut idem esse cum ueneno, quod Hispania hodie ex radicibus hellebori albi conficit, de Balestéra, & de Ierua

uocato

uocato, aut parùm omnino ab eo differre. Nam ſi in cubiculum, in quo ſit repoſita innumerabilis uaſculorum pharmaco de baleſtéra plenorum multitudo, inferatur uel unicum tantùm pomum cotoneum, illico euaneſcit noxia ueneni qualitas, ac mutata natura lethale eſſe deſinit. Plinius libro XXV capitis quinti calce ſcribit Gallos olim tinxiſſe ſagittas in uenatu helleboro, circumciſoque uulnere teneriorem ſentiri carnem affirmaſſe. Vt ſuſpicari poſſimus Limeum herbam appellatam â Gallis (qua eos ſagittas in uenatu infeciſſe medicamẽto, quod uenenum ceruarium uocabant, refert idem auctor libro XXVII capite XI) non diſcrepare ab helleboro, & grauiter errare illos, qui herbam Thoram, uocari Limeum crediderunt. Strabo libro III narrat Hiſpanum eſſe, ut toxicum apponatur, quod ἐκ βοτάνης σελίνῳ προσομοίας, ſiue ex herba apio ſimili conficiunt, nullum afferẽs dolorem: ut ſi quid afferatur inuitis, in promptu illud habeant. Quem locum attingere uidetur Pauſanias in Phocicis ijs uerbis: Sardinia inſula eſt uenenorum omnium, & lethalium ſtirpium expers. Vna eſt herba pernicioſa apio perſimilis. Qui eam comederint, ridentes emoriuntur. Ex eo Homerus primùm, alij deinde poſt eum, Sardonium eum dixerunt riſum, qui ſimulatè, & cum ſtomacho ederetur. Iuxta fontes quidem prouenit, non inficit tamen fontium aquas. Hactenus Pauſanias. Vbi animaduertere oportet inſignem Romuli Amaſæi lapſum, qui poſtrema uerba ex negatiua oratione in affirmatiuam peruertit hoc modo: Gignitur circa fontes maximè, cúmque ipſis aquis ueneni naturam communicat. Quod falſum eſſe, præterquàm quòd Pauſanias ait, ego quoque experientia rerum fidiſſima magiſtra didici. Nam cum ex Ægypto in Siciliam appuliſſem, & inde porrò Vlyſſiponem
clariſſi-

clarissimum Lusitaniæ emporium nauigarem, rectà in Indiam profecturus, incidi (malum) apud Carallitanum Sardiniæ promontorium in decem pyraticas triremes, quarum audacia, perfidiaque nostri ad certamen prouocati, post excussos utrinque tormentorum æneorum globos innumerabiles, & post acrem septem horarum dimicationem, in qua læsi, uulnerati, cæsi fuere permulti, tertia demum certaminis instauratione superati hostium multitudine, ac nostrorum strage territi deditionem per uim fecimus. Itaque priusquàm ferreis cathenis pro more ad transtra triremium alligaremur, atque ut cura commodior sauciorum uulneribus obligandis impendi posset, deducti fuimus in proximam Sardiniæ terram, terram mihi semper infelicem, fugiendamque, ubi, arida site haustu frigidioris aquæ extincta, liquidò deprehendi herbam istam Sardoam passim quidem in aquis obuiam pullulare, sed nullam prorsus uim noxiam eis impertiri. In Sardinia, inquit Salustius, quædam herba nascitur, quæ Sardoa dicitur, apiastri similis. Hæc ora hominum, & rictus contrahit, & quasi ridentes perimit. Hanc herbam Dioscorides uocat βατράχιον, & Sardoniam: Plinius ranunculum, strumeam, & apiastrum; Apuleius sceleratam, Eustathius σέλινον, id est apium. In uicesima nanque Odyssea inter alia multa quæ eò pertinent, illud quoque annotat, esse qui dicant in Sardinia nasci σέλινον, quod uescentes quadam risus similitudine cum spasmo interficit: unde postmodum Sardonius siue Sardanius risus uocatus sit, qui ex dolore proficiscitur. Dioscorides quoque tradit ranunculum, quod in Sardinia prouenit nuncupari σέλινον ἄγριον. Quod imitati Plinius, & Salustius batrachium dixerunt apiastrum; quasi dicas syluestre apium, etiamsi eo nomine Hyginus, & Varro doctis-

ſimi viri meliſſophyllon appellant. Ælius Lampridius de Heliogabalo agens: Barbas, inquit, nullorum tantas iubebat exhiberi, ut pro naſturtijs, apiaſtris, & facelaribus, & fœno græco exhiberet plenis fabatarijs, & diſcis, quod præcipuè ſtupendum eſt. Vbi certè non poſſumus intelligere ranunculum, cuius omnia genera in confeſſa damnatione ſunt uenena. Apud Galenum etiam libro V de ſimplicium medicamentorum facultatibus, capite XIII: per ἀγριοσέλινον, non ranunculum, ſed apij ſpeciem oportet intelligere. Vt enim agrioraphanus ab raphano agrio differt auctoribus, ut aliud ſit ſilueſtris raphanus, aliud raphanus ſilueſtris: & quemadmodum leucacantha ab acantha leuce diſtat, id eſt alba ſpina â ſpina alba: ſic ſelinon agrion plurimùm euariat ab agrioſelino, hoc eſt apium ſilueſtre â ſilueſtri apio. Rurſus uerò, ſi pharicum idem eſſe cum Lycoperſio dicam? Nuper, inquit Galenus libro IIII medicinæ ſimplicis, capite XVIII herbæ cuiuſdam ſuccum conſpeximus, quem centurio quidam ex barbarica circa Ægyptum regione comportauerat, odore adeo graui, adeóq; inamœno, ut ne guſtare quidem auderem, ſed lethalem eſſe coniicerem. Vtebatur autem eo ad urgentes articulorum dolores, atque ipſis etiam laborantibus, refrigerandi pollere facultate eſt uiſus. Eſt autem colore ſubflauo, odore tam graui quàm cicuta, niſi quòd leuem quandam inſtar aromatum odoris adferat gratiã. Nomen herbæ, ex qua ſuccus hic exprimitur, Lycoperſium eſſe dicebat. Hæc Galenus ibi, & porrò in omnibus ſuis uoluminibus nihil. Ne autem ignotum ignoto illuſtraſſe dicar, ſententiam quam habeo de Lycoperſio aperiam. Quid ſi Turcarum ſit Tatula? Si Pedua Pœnorum? Si Americanorum Tumatle? Equidem plantas eas omnes eſſe in peregrinis. Eu-

ropæ, nemo eſt qui neſciat. Quod uerò ſint grauiter odoratæ, ſenſus olfactus docet: quòd uenenatæ, concors ſcriptorum conſenſus indubitatum facit. Tatula quidem eſt, quã Cordus indigitat hyoſciamũ Perunianum, Bellonius ſolanum ſomniferum, Matthæolus Stramoniam, Græcia recentior paracoccalon ſiue barycoccalon, Veneti meloſpinum, Galli malum Perunianum, Monſpelienſes ſolanum Romanum, quidam coronam regiam, alij pomum ſpinoſum, Ebenbithar, & Auicenna nucem methel. Falluntur qui â Crateua Hippomanes uocari exiſtimant. Cæterùm pedua â neotericis appellatur caryophyllus Indicus, tanacetum Perunianum, tachetes, flos Africanus, Tunetenſis, & Indicus. Sunt qui othonnam eſſe rentur, ſunt qui petilium: nec deſunt qui inter calthas reponunt. Denique tumatle ex Themiſtitan, recentiores ferè pomum aureum, & pomum amoris nuncupant. Huius plantæ iconem primus, & ultimus ſpectandam propoſuit Rembertus Dodonæus in commentarijs de ſtirpibus, quos idiomate Germanorum inferiorum edidit, uir huius memoriæ eruditiſſimus, & ad ſtirpium cognitionem non illuſtrandam ſolùm, ſed abſoluendam natus, factus, inſtitutus. Finem faciam de pharico, ſi illud notauero, Heſychium φαρινὸν interpretari laneum integumentum, pro quo in onomaſtico Iulij Pollucis legitur φάριον, ut ferè in alterutro mendum ſubeſſe ſuſpicer.

MEMBRVM VI.

Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolomæi, & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemæo, idem Varro mem-

branas Pergami tradidit repertas. Poſtea promiſcuè patuit uſus rei, qua conſtat im mortalitas hominum.

Commentarius Guilandini.

QVanta fuerit M Varronis in litteris præſtantia, quantum ingenij acumen præ cæteris ſuo tempore eruditione claris, quanta denique totius antiquitatis peritia, cùm in ſecundi membri expoſitione verſarer paullò fuſius attigi. Etſi verò ei libenter tantum ubique tribuo, quantum eximia atque excellens ipſius eruditio meretur: tamen tanti faciendum non puto, quanti Plinius eum habuiſſe uidetur, cui ſatis fuit, tradidiſſe Varronem membranas Pergami primùm, & quidem chartis ſerius inuentas, nulla porrò ſuper hoc diligentiore inquiſitione facta. Qui, ſi præſtantem generoſi animi ſui aciem, in ueritate indaganda, qua nihil pulchrius, nihil præſtabilius eſſe poteſt, hac quoq; parte occupare uoluiſſet, tam facilè ſibi erat deprehendere, falſum eſſe quod â Varrone aſſeritur, quàm grauibus ſcriptorum teſtimonijs ſententiam eius de chartis infra conuellet. Nam membranarum uſum multò ante quàm Ptolemaici, & Attalici reges de gremio exirent, orbi terrarum communicatum fuiſſe, non obſcurè teſtatur Herodotus, qui in Terpſichore ſcribit Ionas byblos dicere diphtheras priſca conſuetudine, quòd aliquando byblorum penuriâ, hoc eſt papyri, pellibus uterentur tum caprinis, tum ouillis. Sed in re tanti momenti, præſtat ipſummet hiſtoriæ patrem ſua diſſerentem lingua audire: καὶ τὰς βίβλους, φησὶ, διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ Ἴωνες, ὅτι κοτὲ ἐν σπάνει βίβλων,

ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγέῃσί τε καὶ οἰέῃσι. ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ, πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι. Priſca, inquit, conſuetudine chartas Iones appellant pelles, quòd aliquando penuriâ chartarum, pellibus caprinis, ouilliſque utebantur. Adhuc quoque ad meam uſque memoriam multi barbarorum in talibus pellibus ſcribunt. Quæ uerba non ſolùm Varronem falſitatis coarguunt, quantum quidem ad membranas attinet, uerùm etiam ſententiam eius de chartis prorſus ſubruunt atque euertunt. Ne uerò quiſpiam pro Varrone ſtans, diphtheras dicat fuiſſe non membranas, quæ poſtea Pergamenæ dictæ fuere, quòd ex urbe Pergami in Aſia, ab Attalo rege miſſa eſt membranarum copia, ſed rudes caprarum, ouiúmque pelles, audiat quæſo grauiſſimum ſcriptorem Ioſephum libro XII antiquitatum Iudaicarum, capite II, ex cuius diſerta iuxta atque luculenta atteſtatione cognoſcet, diphtheras, quæ antiquitus ad ſcribendum adhibebantur, nihil â pergamenis diſcrepare. Loquitur autem de LXXII interpretibus â Iudæa Alexandriam ad Ptolemæum miſſis. ὡς δὲ παρῆλθον μετὰ καὶ τῶν δώρων οἱ γέροντες, ἃ τῷ βασιλεῖ κομίσαι ὁ ἀρχιερεὺς αὐτοῖς ἔδωκε, καὶ τῶν διφθερῶν, αἷς ἐγγεγραμμένους εἶχον τοὺς νόμους χρυσοῖς γράμμασιν, ἐπηρώτησεν αὐτοὺς περὶ τῶν βιβλίων. ὡς δ' ἀποκαλύψαντες τῶν ἐνειλημάτων ἐπέδειξαν αὐτῷ, θαυμάσας ὁ βασιλεὺς τῆς ἰσχνότητος τοὺς ὑμένας, καὶ τῆς συμβολῆς τὸ ἀνεπίγνωστον, οὕτω γὰρ ἥρμοστο &c.

Quæ uerba Gelenius ſic in Latinum conuertit: Vt uerò ſenes illi uenerunt cum muneribus â Pontifice miſſis, & cum membranis, quæ legem aureis litteris inſcriptam continebant, primùm de libris eos rogauit: ut uerò ex inuolucris depromptos obtulerunt, multùm, diúque miratus membranæ ſubtilitatem, & commiſſuras, quæ ita latebant, ut uiſu diſcerni non poſſent, gratias ſe illis habere dixit qui uenerint, & maiores etiam

ei qui

ci qui miserit, sed longè maximas deo, cuius leges at tulerint. Ex quibus uerbis palàm fit, diphtheras ueterum non modò non differre â membranis siue pergamenis postea dictis, uerùm etiam multò antiquiorem esse membranarum inuentionem quàm Varro tradidit. Nam Eleazarus princeps sacerdotũ per LXXII interpretes, sacros libros ad Ptolemæum Philadelphum tunc primum regnare incipientem, in membranis tenuissimis, ac incomprehensibili compagine glutinatis, aureis litteris descriptos misit. At æmulatio, quæ inter hunc Ptolemæum, & Eumenem Pergami regem ob studiorum similitudinem in conquirendis toto terrarum orbe omnis generis libris suborta fuit, serius aliquanto gliscere, incrementáque sumere cœpit, quàm sacra uolumina in Græcum traducta fuerunt. Quô fit ut serius etiam chartas Ptolemæus supprimere potuerit, & multò adhuc serius Eumenes membranarum copiam fieri curauerit, qua chartarum penuria pensaretur. Equidem nequeo satis mirari, quibus coniecturis adductus Varro memoriæ prodidit, membranas ante Ptolemæum non dum fuisse repertas. Qui, si prouerbij illius uulgatissimi, Antiquiora diphthera, memor fuisset, nunquam profectò sententiam eam scriptis â se inseruisset. Siquidem Suidas ait, diphtheram, quam Argonautæ ex Colchide aduexerunt, librum fuisse ex membranis, qui artis eius, quam chymiam uocant, arcana pandebat, vt aurum esset faciendum, meritóque membranam eam appellatam esse auream, propter emolumentum, quod ex ea acquirebatur. Alij diphtheram interpretantur pellem capræ, quæ Iouem lactarit, in qua creditum est antiquitus, illum omnia scribere quæ fierent. Vnde quæ nec in historicorum litteris exstarent, nec in hominum memoria seruarentur, ea uelut

ex Iouis

ex Iouis diphtera petita dicebantur. Quanquam autem utraq; expositio profiteatur diu ante Ptolemæos in pellibus scriptitatum fuisse, quod mihi contra Varronis pronunciatum satis est: tamen Suidæ opinioni nō parùm fauere uidetur id, quod super ea uerba Apollonij ex secundo Argonauticorum, τὸν ῥά χρύσειον ἔθηκεν ἑρμείας, id est quem aureum utique posuit Mercurius, colligitur his uerbis ab interpretibus. λέγεται τῇ τοῦ ἑρμοῦ ἐπαφῇ, τὸ δέρας τοῦ κριοῦ γενέσθαι χρυσοῦν: dicitur scilicet contactu Mercurij pellem arietis factam esse auream. Quibus uerbis uideri potest significari non illum deorum internuncium, atque interpretem, petaso, talaribus, & caduceo insignem, sed potius hydrargyrum, quo Chymici ad aurum conflandum utuntur: hydrargyrum inquam, non illud uulgare, sed quod ab uulgari per ignem, & arenam albam septies mundatum est, & priuatim argentum uiuum sapientum, aqua mercurialis, materia mettallorum, perpetua dispositio, materia prima artis, uitrum perenne incorruptúmque, & oleum uitri appellatur. Hoc genere liquoris fiunt lampades perpetuò ardentes, quod penitus incredibile uideretur, nisi Hermolaus Barbarus, uir clarissimus, & de cuius fide nemo iure dubitauerit, libro corollariorum V, & Franciscus Maturantius, homo eruditissimus in epistola ad Alphenum amicum, iamdudum testati fuissent inueniri alicubi in subterraneis Italiæ monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes, qualis fuit illa Maximi Olybij in agro Patauino iuxta oppidum Atheste eruta, quam arsisse supra mille & quingentos annos, tradit libri primi antiquitatum Patauinarum calce Bernardinus Scardeonus, uir singulari cùm doctrina, tum probitate admiranda. Certè in historia est, Diocletianum Imperatorem ueterum scripta de fusione argenti, atque au

ri per totam Ægyptum conquiſita concremaſſe, ne ex illa arte ditati Ægyptij, & pecuniæ freti copijs, deinceps contra Romanos rebellarent. Vt prope affirmare auſim, ſtudium chymicæ artis apud barbaras gentes antiquiſſimum fuiſſe, ad Romanos verò, & Græcos deriuatum tardius, præſertim cum Ariſtoteles quoque eius meminiſſe videatur. Nam XXIII probl. XIII quærens cur mare potis ſit flammam emittere, aqua potabilis non item, cauſſam reddit, quia oleum arte ex ſale extrahi poſſit. Quod equidem oleum nemo ſine chymica arte eliciet, etiamſi ſalem mille torcularibus quàm arctiſſimè comprimat, atque adſtringat. At cùm oleum flammam producat, non eſt â ratione alienum, poſſe & mare flammigerare, propter oleaceam quam in ſe continet partem. Qua, cum potabilis aqua careat, flammas emittere nequit, quemadmodum neque marmor, neque glacies in flammam prorumpere poſſunt. Verùm enimuero quia illud philoſophi problema paullò obſcurius eſſe apparet, quàm ut apertum ſenſum conſtituat, ego, quô ſtudioſis elegantioris philoſophiæ gratum faciam, annitar lucem ei dare, atque id uel maximè oblectandi Nicaſium Ellebodium eruditiſſimum hominem gratia, qui tametſi utranq; linguam excellenter calleat, ac philoſophiam vnà cùm medicina ita coniunxerit, vt dignus iudicatus ſit, quem laurea corona mirifico omnium conſenſu donaret collegium medicorum Venetorum tam conſummatæ doctrinæ hominum, vt nihil eos unquam latuiſſe ſit ſuſpicandum: tamen is ſuperioribus menſibus me aliquanto moroſius ſuper eo interpellauit. Eſt itaque ſciendum ex Ariſtotele libro meteorologicorum IV, capite IX, καυστὰ, id eſt uſtilia in duplici eſſe differentia. Altera enim ſunt φλογιστὰ altera ἀφλόγιστα: his fulgorem ignis haudquaquam concipientibus: illis con-

trà clarissimum eius lumen plenè reddentibus: hæc flammantia Latinè dixerim, illa non flammantia. Sed & illud quoque in memoria habere oportet, quod idem philosophus adstruit libro II de anima, contextu XLIII, aquam potabilem, & in summa omne humidum, ut ait Auerrhoës, ignis alimentum existere, atque ideo necessariò deuri: quanquam flammare non est necesse. Quibus ita positis, consequens est omnem quidem aquam cremari: non tamen omnem flammigerare, sed illam tantùm quæ aliquid pingue, & oleaceum habet, qualis est aqua salsa. Apparet ergo uerbum καίεσθαι eo in problemate ab Aristotele positum esse tum pro prima, tum etiam pro secunda combustionis specie, ac proinde uacare me omni culpa, qui non deuri tantùm, ut Gaza, verùm etiam flammam emittere, produceréque transtuli. Est nanque aqua omnis καυστά, cùm sit ignis pabulum, sed non omnis est φλογιστά, quòd flammam haud omnis emittere potis est. Cæterùm philosophus repetit hoc idem problema paullò inferius in eâdem sectione, ex quo loco facilimum est integritati suæ restituere mendum, quod in priori problemate transcribentium incuria commissum erat & â Gaza minimè animaduersum. Vbi enim scriptum habetur, καὶ μᾶλλον γε δὴ, quòd Gaza, Et eò magis, vertit, legere oportet, καὶ μᾶλλον γεῶδες, id est, & magis terrestre, quemadmodum etiam antiquum interpretem legisse constat. Et cùm subdit, καὶ ἕτερον ἑτέρου μᾶλλον τῷ ἐγγυτέρω τοῦ θερμοῦ εἶναι, meminisse par est, uerba ea copulari ad proximè præcedentia, in quibus dicitur, quòd siccum aptius est ad urendũ. Eò nanque respiciens Aristoteles, statim subiungit: Et alterum, scilicet siccum altero sicco facilius crematur, prout nimirum calido fuerit vicinius, siue, quod idem est, prout magis calore per naturam sit particeps.

Tunc ſubijcit: τὸ ξηρότερον δὲ τῇ θαλάττῃ μᾶλλον ὑπάρχει, id eſt, mare autem aqua potabili eſt ſiccius: unde poſtmodum efficitur, ut etiam eâ combuſtionis ſpecie cremari, quæ flammam reddit, aptius ſit. Atque ita nihil illo in problemate relinquitur, quod non clarum, dilucidumque eſſe appareat: utinámque tam facile eſſet tollere contradictionem, quæ ſe ingerit in uerbis Ariſtotelis, & Theophraſti ſuper deuſtione aquæ potabilis, quàm facile eximitur ſcrupus ab illo Ariſtotelis problemate. Siquidem Theophraſtus in pulcherrimo illo libello, cuius index eſt, περὶ πυρὸς, ita deuri aquam potabilem ait, ut flammare etiam palàm perhibeat: διὰ τοῦτο γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ οἶνος ἐγχεόμενος ἐπὶ τὴν φλόγα, καθάπερ τοῖς σπένδουσιν ἐκλάμπει. καὶ ἡ θάλαττα, ὅταν σβεννύωσιν. ἐὰν δ᾽ ἔλαττον ᾖ, καὶ τὸ ὕδωρ. Redeo ad ſeriem, & continuationem ſermonis Plinij: in quo illud dubium occurrit, Eumenéſne fuerit is, ut Plinius ait, an Attalus, ut Ælianus, inter quem, & Ptolemæum ſecundum ſuborta fuit æmulatio circa bibliothecas. Sanè diuus Hieronymus in epiſtola ad Chromatium, ita hunc Plinij locum attingit, ut pro Æliano ſtare palàm uideatur. De quibus, inquit, hoc primùm queror, cur tot interiacentibus ſpatijs maris, atque terrarum, tam paruam epiſtolam miſeritis, niſi quòd ita merui, qui uobis (ut ſcribitis) ante non ſcripſi. Chartam defuiſſe non puto Ægypto miniſtrante commercia. Et ſi alicui Ptolemæus maria clauſiſſet, tamen rex Attalus membranas â Pergamo miſerat, ut penuria chartæ pellibus penſaretur, Vnde & Pergamenarum nomen ad hunc uſque diem, tradente ſibi inuicem poſteritate, ſeruatum eſt. Hactenus Hieronymus. Quod auctorum de membranis, & bibliothecis diſſidium, non erit difficile tollere per ea, quæ ſcribuntur â Galeno in proœmio commētariorum ad II librum

Hippo-

Hippocratis de natura humana, ubi mentionẽ faciens huius ipsius contentionis, qua, ut Plinius ait, Eumenes, & Ptolemæus inter se certarunt, clarè demonstrat omnes Pergami reges uocatos fuisse Attalos, quemadmodum Ægypti Ptolemæos. Idem testatum facit Strabo libro tertiodecimo geographicorum, & apud Latinos Vitruuius in præfatione libri septimi. Plinius itaque proprium regis nomen reddidit, Ælianus, & Hieronymus commune omnibus Pergami regibus. Difficilius fortasse fuerit ostendere, quis primùm libris conquirendis, & bibliothecis erigendis operam, studiúmque impenderit. Equidem Strabo illo ipso quem modò indicaui loco, auctor est Aristotelem scholæ Peripateticorum principem libros primùm omnium congregare cæpisse, atque Ægypti reges bibliothecæ syntaxin docuisse. Cuius asseuerationis utranque partem esse erroneam, falsámque, profiteri non dubito. Quomodo nanque Aristoteles, Ptolemæum secundum ab Alexandro Magno regem Ægypti, qui primus bibliothecam Alexandrinam instituit, eius bibliothecæ syntaxin docere potuit, si antequàm Ptolemæus iste cognomento Philadelphus regnum susciperet, Aristoteles iam ante annos prope XL in humanis esse desierat? Natus enim est Aristoteles anno primo nonagesimænonæ olympiadis, & cùm esset annorum ferme sexagintatrium ẽ vita in Chalcide migrauit, teste Apollodoro in Chronicis, quam sententiam sequitur etiam Diogenes Laërtius, nec dissentit Suidas, nisi quòd anno ætatis septuagesimo uitam cum morte permutasse, de quorũdam fide refert. Sed & si maximam annorum vitæ summam accipiamus, quem Aristoteles vltra septuaginta non prorogauit: adhuc tamen â morte eius ad primum regni Philadelphi annum intercident anni triginta.

Falsum est igitur eum docuisse reges Ægypti quo ordine bibliothecæ essent instituendæ. Nec est probabile, quod dici possit ab aliquo: Aristotelem Ptolemæo Lagi filio, primo regi Ægypti post mortem Alexandri Magni, præscripsisse ordinem bibliothecæ, quæ ab illo rege vix inchoata, ideoque tam obscura sit, quàm quæ adhuc quasi nulla fuit: Ptolemæum uerò Philadelphum secundum regem eiusdem prouinciæ post Alexandrum Magnum, tanto studio ad inchoatum â primo rege opus incubuisse, ut id non tantùm perfecisse, sed etiam incepisse credatur: nec propterea negari posse, quin Aristoteles docuerit reges Ægypti, quo ordine bibliothecæ essent instituendæ. Nam ineptijs est simillimum, ordinem illarum rerum præscribere, quas quis adhuc nescit. Quomodo enim Aristoteles præscire potuit, quos libros conquirere posset tantus rex? Immo neque â se conscriptos libros coordinauit, sed ab alijs habēt ordinem illum, quo nunc circumferuntur. Rex ille antequàm conquisiuerat libros fortè magis indiguit eiusmodi consiliarijs, qui eum docerent, quibus artibus extorqueret omnis generis libros, siquidem non omnes æquè libenter communicare uoluerunt suos libros. Post collectam autem tantam copiam librorum, ut ordinare eos necesse esset, quô faciles essent inuentu, quoties in aliquo aliquid considerare uolupe fuit, tandem demum occasio fuit consultandi. Ad eam consultationem autem Aristoteles iam adhiberi non potuit, quippe, qui modo ante multos annos excesserat ê uiuis. Neque est ea res tanti momenti, ut propterea Aristoteles â mortuis excitandus, atque sic consulendus fuerit. Et licet traderetur â viris fide dignis; quod Aristoteles hac ratione ad consultationem hanc uocatus sit: tamen negarem consilium illud ab eiusmodi consiliario da-

tum, esse Aristotelis Stagiritæ illius, quem principem suum esse iactitauit secta Peripateticorum: diceremq; esse potius consilium laruæ cuiusdam, quæ specimen saltem Aristotelis illius præ se ferẽs apparuerit, & con suluerit. Non igitur neque sic probabile est, quod traditur Aristoteles reges Ægypti docuisse quo ordine bibliothecæ essent instituendę. Verùm super Aristotele, quando sit natus, mortuúsq;, quibus præceptoribus usus, quomodo institutus, qualia, quot, & quo ordine scripserit, quæ operum suorum partitio, quis ordo, & summatim quidquid ad totum vitæ eius decursum, atque omnium ab eo scriptorum connexionem attinet, multa non minus eleganter, quàm doctè tredecim libris ei instituto priuatim dicatis comprehendit Franciscus Patricius, quem ego uirum testimonio splendido, plenóque ornare supersedeo, ne quis ab amore magis, quo eum prosequor incredibili, quàm â iudicio profectum caussari possit. Deinde uerò libris accumulandis, & bibliothecæ instituendæ, tantùm abest ut Aristoteles omnium primus uacauerit, ut ne apud Græcos quidem primus fuerit. Nam Gellius libri sexti calce memorat Pisistratum tyrannum bibliothecam primùm Athenis posuisse, quam Xerxes urbe potitus ad Persas transtulit, & Seleucus Nicanor multis post annis referendam Athenas curauit. Sacra autem Hebræorum uolumina I Esdræ VI, an non duarum Darij Persarum regis bibliothecarum, quarum altera erat Babyloni in Chaldæa, altera Ecbatanis in Media mentionem faciunt? Non dissimulabo tamen bibliothecam eo Esdræ loco significare potius libros dati & accepti. Siquidem olim duplices fuerunt bibliothecæ: aliæ erant in quibus reseruabantur libri, qui spectabant ad eruditionem: aliæ uerò in quibus reponere solebant libros, qui pertinebant ad rem nummariam.

Atque

Atque ita alij ſunt libri rationum, & alij libri ſapientiæ, ac philoſophiæ. Eſdras autem loquitur de libris rationum. Quin & Iuriſconſulti docent bibliothecam ſignificare & locum, & armarium, & libros. Bibliotheca (inquit Vlpianus libro XXXII pandectarum, qui eſt de legatis, & fideicommiſſis tertius, capite L) legata, utrum armarium ſolum, uel armaria, an uerò libri quoque contineantur, quæritur? Et eleganter Nerua ait, intereſſe quid teſtator ſenſerit. Nam & locum ſignificare bibliothecam, & aliàs armarium, aliàs libros. Quod igitur ſcribit Sabinus, libros bibliothecam non ſequi, non per omnia uerum eſt. Nam interdum armaria quoque debentur, quæ plerique bibliothecas appellant. Hactenus Vlpianus. A quo non diſſentit Pompeius Feſtus, qui bibliothecas & apud Græcos, & apud Latinos, tam librorum magnum per ſe numerum, quàm locum ipſum, in quo libri collocati ſunt, appellari teſtatur. Quis Romæ primus bibliothecam erexerit, dubitationem non habet, quando id præſtitiſſe Aſinium Pollionem teſtatur Plinius libro XXXV, capite II, cuius uerba, quòd multam amænitatem habent, duxi adſcribenda. Non eſt prætereundum ait, & nouitium inuentum. Siquidem non ſolùm ex auro, argentóue, aut certè ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur, quinimmo etiam quæ non ſunt finguntur, pariúntque deſideria non traditi uultus, ſicut in Homero euenit: quo maius, ut equidem arbitror, nullum eſt felicitatis ſpecimen, quàm ſemper omnes ſcire cupere qualis fuerit aliquis. Aſinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit. An priores cæperint Alexãdriæ, & Pergami reges, qui bibliothecas magno certàmine inſtituère, non facilè dixerim.

dixerim. Hæc ille. Multas præterea fuiſſe Romæ bibliothecas nobiliſſimas, paſſim apud ſcriptores legimus, quas omnes nuperrimè elegantiſſimo tractatu concluſit Fuluius Vrſinus in eo opere, quo imagines, & elogia uirorum illuſtrium, & eruditorum, ex antiquis lapidibus, & numiſmatibus expreſſa cum annotationibus publicauit, uir ingenij, eruditionisque gratia auctoritate magna præditus, non ſolùm apud Alexandrum illum Farneſium Cardinalem ingeniorum acerrimum iudicem, cui eſt à ſecretis, uerùm etiam apud totam Romam urbium, & orbis dominam, atque apud omnes totius Italiæ claros doctrina uiros. Ac fuit hoc ab antiquis temporibus ſapientiſſimorum regum, & principum opus, bibliothecas condere, tanquam caſtella quædam, & armamentaria ſapientiæ. Et, ſi certaminum uictores magnos honores meruerunt, ut in conuentu ſtantes (ſicut Vitruuis ait) palma, & corona donarentur, & redeuntes in propriam patriam, quaſi victoria triumphantes quadrigis inueherentur, adhæc veſte publica, perpetuóque victu alerentur: quanto magis efferendi ſunt uiri illi, qui doctiſſimorum hominum ſcripta maximis impenſis, & ſumptibus prorſus incredibilibus anxiè, ac ſolicitius undique conquirunt, quo rempublicam ijs præſidijs communiant, quæ poſteris ſæculis profutura ſint, & unde omnis uitæ lepor, humanitáſque pendent. In quibus hercle nemo palmam præripuerit Ptolemæo illi Philadelpho, non ſolùm ob repoſita in Alexādrina bibliotheca ſeptingenta uoluminum millia, ut Gellius & Ammianus Marcellinus teſtatum fecerunt, verùm etiam quia primus ſacra biblia ex Chaldæo Græca facere curauit: Pharum turrem inter ſeptem orbis miracula relatam ſubſtruxit: & quod credere duriuſculum eſſet, niſi à medicorum antiſtite Galeno ſecundo in III epide-

miorum

miorum VII, & primo de natura humana luculenta oratione confirmatum esset, Atheniensibus annonæ penuria pressis non prius alimenta concessit, quàm sibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, & Æschyli autographorum potestatem fecerāt. Pro quibus tamen, præter vectigalium immunitatem, XV talenta iisdem oppignerauit: & eadem postea cum exscriptis exemplaribus illis dono dedit. Quo equidem Ptolomæi facto nullum puto generosius. Iulianus singulari ingenio, & eloquentia Imperator, quanto librorum studio arserit, ipsius prudentissimum hoc dictum testatur, quo exorditur epistolam ad Ecdicium præfectum Ægypti: ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν. ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Quæ uerba Morentius vir doctissimus, sic Latinè expressit: Quidam equis, alij auibus, nonnulli feris delectantur: ego verò inde vsque â pueritia librorum cupiditate arsi. Quam suam ardentem cupiditatem egregiè manifestauit idem Imperator in ea epistola, qua mandat Porphyrio, vt mittat Antiochiam Georgij episcopi Alexandrini bibliothecam, graui pœna irrogata, nisi integrè mitteretur. Georgij, inquit, magna sanè, & copiosa bibliotheca fuit, & philosophorum, & historicorum omni genere referta: sed de Galilæorum maximè doctrina permulti, & varij cōmentarij exstabāt. Quare totam eam bibliothecam perquire, & Antiochiam mitte. Scito autem te quoque grauissimas pœnas esse daturum, nisi omnem diligentiam in quærendo adhibueris, & quos suspicio erit quacunque ratione libros aliquos interuertisse, tum argumentis omnibus, tum iureiurando multiplici, tum multo magis seruorum quæstione, nisi queas conuincere, saltem ui cogas eos in medium proferre. Ad cuius epistolæ tam minax, & seuerum exemplum

conscri-

conſcribendum Iulianus videri poſſit impulſus, non tam naturâ alioquin litterarum ardentiſſima, quàm ſpe gloriæ maioris, perſuaſus euenturum ſibi, quod Gordiano optimo, & nobiliſſimo Imperatori accidiſſe Iulius Capitolinus in eius vita memorat. Nam cum Seuerus Sammonicus, vir eruditiſſimus Gordiano iuniori bibliothecam ſuam, in qua ſexagintaduo millia optimorum voluminum cenſebantur, teſtamento reliquiſſet, illico Gordianus ad cœlum ferri cæpit. Quippe tantæ bibliothecæ copia, & ſplendore donatus, in famam hominum litteratorum decore peruenit. Nec fefelliſſet iſta Iulianum perſuaſio, modò ingeniũ, indolémque egregiam ad veram pietatem, quam puer imbiberat, conuertiſſet. Quæ ſi ſemel agnita fuerit, & poſtea ſponte excutiatur, omnium ſcelerum, malorúmque cauſſa eſſe ſolet. Hinc illa nefaria eiuſdem Iuliani morientis contra Chriſtum exclamatio, Viciſti Galilæe. Chriſtianos impio quodam odio adeo inſectatus, vt ſtudia, & militiam his interdixerit, pleroſque præmijs, & illecebris, quaſi machinis à uera pietate auerterit. Vnde poſtea effectum fuit, ut omnes in eo maximo dignæ principe virtutes obſcurarentur, & chartis, quibus, vt Plinius ait, conſtat immortalitas hominum, fœdè traductus, ab optimis quibuſque ſcriptoribus non tam laudetur, efferatúrque, quàm turpiter laceretur, ac deprimatur. Quod grauiter iuxta atque veraciter facit Gregorius ille Nazanzenus, vir ad miraculum doctus, bonus, piusque, in duabus illis inuectiuis, & infamatricibus orationibus, qui ϛηλιτευτικοὶ vocati ſunt λόγοι.

O Membrum

Papyrum ergo naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi euagatæ ſtagnant, duo cubita non exceden te altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſsitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens. Semine nullo, aut uſu eius alio, quàm floris ad deos coronandos.

Correctio Guilandini.

Papyrum ergo naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi euagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſſitudine, decem non amplius cubitorum longitudine, triangulis lateribus in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens &c.

Commentarius Guilandini.

RECeperat Plinius, priuſquam ſtirpibus Ægypto proprijs coronidem imponeret, dicturum ſe de papyro, quod præſtare uolens, deſcriptionem proponit, qualem apud Theophraſtum inuenerat, â quo libro

libro IIII historiæ plantarum, capite IX his uerbis repræsentatur. Nascitur papyrus non in altitudine gurgitum, sed prope intra duo cubita, nonnusquam etiam minus: crassitudine radicis qua uola uiri robusti: longitudine super dena cubita prouenit: super terrã ipsam radices obliquas, tenues, densásq; in limũ demittens: sursum quos papyros dixêre profert, triquetros, angulatos, magnitudine quaternorum ferme cubitorum, coma inutili, exiliq; fastigiatos, fructus nullius fecundos, ex multisque radicis partibus erumpentes. Ex qua Theophrasti oratione facile est cuiuis intelligere, qua ego ratione persuasus, duo in Plinio uerba sede non sua iacentia, aliò reponenda censuerim. Cùm enim in Ægypto peregrinarer, & magna cura in omnes eius regionis stirpes inquirerem, nunquam potui in papyrum incidere, cuius thyrsi, seu uirgæ ad summum septem cubita excederent. Quare cogitare meam cœpi, uel non intellexisse Plinium quæ â Theophrasto dicuntur, cuius criminis tantum uirum reum agere pudet, uel ei certè transcribentium (incuriáne dicam an inscitia?) vim esse factam: hoc enim longitudinem decem cubitorum radicibus attributam ad scapos hastiliáue seu caules imperitè nimis transtulisse mihi persuadeo. Est uero papyrus duplex quemadmodum secundi membri commentario ex Eustathio annotaui: una, quæ propriè uocatur biblus Ægyptia, non nisi in Ægypto, & India Straboni nascens, tametsi Theophrastus in Syria quoque prouenire tradit, Plinius etiam in Babylone: altera, quæ extra Ægyptum in Italia etiam gignitur vnà cum typha, & anthela, uel ut Guarinus & Trifernates apud Strabonem interpretati sunt, unà cum cremio, & ulua, atque â Thephrasto priuatim sari appellatur, ab Eustathio biblus altera. Ex priore fiebât quondam chartæ: ex posteriore non item.

Quod neſcientes nonnulli, crediderunt papyrum, quæ biblus eſt Ægyptia, prouenire in Italia, quo nihil eſt falſum magis. Sari, inquit Theophraſtus loco citato, in aqua prouenit, circa paludes, planáque, ubi Nilus receſſerit. Habet radicem præduram, flexuosámq; : ex qua, quæ Saria uocant, exeunt: his longitudo duûm cubitorum, craſſitudo pollicaris. Triangulum id quoque papyri modo, & comam ſimilem gerit. Qui manducant, eius quoque manducamentum exſpuunt. Radice fabri ferrarij utuntur : carbonem enim optimum facit, propter ligni duritiam. Hoc Sari, illa eſt planta, quam Sicilia, in qua copiosè naſcitur, Calabria, & Apulia uulgò paperum nominat, unius litteræ diuerſitate â papyro, quam Strabo libro V in quibuſdam Hetruriæ lacubus inueniri teſtatur ijs verbis : Ad agri beatitudinem accedunt, & lacus magni, & multi, qui & nauigantur, & multa opſonia, paluſtréſque auiculas nutriunt. Typha etiam, & papyrus, & anthela copiosè Romam per fluuios deportantur, quos lacus uſque in Tiberim effundunt. Vbi papyrum non licet exponere pro biblo, ex qua chartæ fiebant, utpote quam biblum idem auctor libro ultimo, non niſi in Ægypto, & ſola India gigni pro conſtanti affirmat. Verùm cùm Theophraſtus ſari faciat ſimilimum biblo, ſuſpicor utranque plantam ob eam quam inter ſe habent affinitatem, uno, eodémque papyri nomine appellatam fuiſſe, quando & Euſtathius prima & uiceſima Odyſſea, bibli duo genera ſtatuit : alteram Ægyptiam, ex qua chartæ : alteram ei ſimilimam, quam ego pro Sari interpretor. Ne autem papyrum apud Alcæum, & Anacreontem pro ſari accipiam, in cauſſa eſt, quòd nuſquam legerim apud Strabone antiquiores, uocabulum id in alia ſignificatione, quàm pro una biblo, ex qua chartæ conficiebantur, uſurpari. At poſterio-

ſteriores papyrum non modò pro ſari enunciauerunt, uerùm etiam pro biblo, ex qua chartæ. Papyrum quidem nullus Latinorum pro ſari extulit, licet pro biblo Ægyptia permulti. Iidem nouere papyri ſex alias ſignificationes, quarum duas tantùm apud Græcos legiſſe memini. Nam Latini imitati Græcos, non ſolùm totam bibli ſtirpem omnibus ſuis partibus conſtantem appellant papyrum, ſed etiam priuatim eiuſdem bibli ſcapum, caulémue. Plinius libro XIII, capite XI: Præparãtur ex papyro chartæ, diuiſo acu in prætenues, ſed quàm latiſſimas phyluras. Ibidem: Ex ipſo quidem papyro nauigia texunt. Rurſus capite XII eiuſdem libri: Cùm primò ſupina tabula ſcheda adlinitur, longitudine papyri, quæ potuit eſſe ſegminibns utrinque amputatis. Quibus in locis papyrum uocat non radices, non folia, quæ ambo, tum ad textum, tum ad chartam faciendam inutilia ſunt, ſed ſcapum, qui ſolus vtrique ei uſui deſeruit. Quinetiam Alexander in problematis, Theophraſtus, Galenus, Oribaſius, Paullus, medici omnes papyri nomine ipſum plantæ caulem appellaſſe deprehenduntur. Certè Dioſcorides, qui fiſtulas papyro recludit, eadémque in cineres redacta, depaſcentia ulcera aſpergit, non niſi ſcapum bibli intelligit. Eſt enim ſcapus ex rara, & fungoſa ſubſtantia conſtitutus, cuius hiantes, & laxæ interius cauitates copioſo humore explentur, qui ſimul atque euanuit, tota caulis craſſities concidens, redditur multò quàm erat tenuior atque ſubtilior. Eum ſcapum, quòd nec recens, nec natiuo ſucco turgens, ſed aridus magis atque exſuccus in Græciam importaretur, iubet Dioſcoride s aquæ immerſum, madefactúmque filo ualidè conſtringere, & ſic aëri deſiccandum exponere. Poſtquàm enim uinculis hoc modo arctè colligatus inaruerit, ſi ſoluatur, inque fiſtulam, uel in quæcunque vlcera, quorum labra im-

bra importunè contrahuntur, indatur, ſenſim ulceris humiditate intumeſcens, ad priſtinam tandem magnitudinem, quam præferebat antequàm filo uinciretur, reuertitur, atque ſic oras fiſtularum diducit, ac laxiores efficit. In quem vſum chirurgi hac tempeſtate interiorem milij Indici medullam non ſine felici ſucceſſu aſſumunt. Quod equidem eo libentius refero, quòd mihi refricat, renouátque memoriam pariter ac deſiderium Gabrielis Falloppij Mutinenſis, magni mei dum hac luce frueretur mœcenatis, quem ego uirum totius Italiæ publico, ſummóque honore nomino. Nullum enim vnquam chirurgum hoc ipſo, Italia produxit omnibus animi ingenijque dotibus abſolutiorem, abſit inuidia dicto: &, ſi ad laudem facit, Hydrocremaſto Taurino tantò maiorem, quantò minus uerecundum eſt, uelle docere quod non didiceris, ac ſpartam, quam ſis nactus, impotenter ornare. Sed ne ſingulas eius laudes oratione exſequar, apponam elogiũ, quod eius imagini meo in muſæo ſubſcripſi, ex quo nemo non intelliget, quantis vir ille virtutibus inſtructus fuerit.
Salue Gabriel Falloppi ſcholæ Patauinæ medicorum omnium, omnibus numeris longè abſolutiſſime: ingeniorum liberalis educator: artiúmque, & vtriuſque linguæ perite: ac unice veræ virtutis æſtimator. Salue iterum anatomicorum, atque herbariorum coryphæe, cùm, te viuente, non Italia modò tua, ſed omnis quoque Europa ſalutari, & admiranda prorſus doctrina floruerit: ſcilicet vt mox orbata te doctore, & uindice, in denſiſſimam obſcuritatis caliginem, & veteres illas tenebras incideret. Salue itidem, qui feliciter, & exercuiſti medicinam, & luculenter docuiſti in clariſſimis Italiæ gymnaſijs annos XIIX, detectis, damnatis, proſcriptis, ê medio ſublatis errorum millibus multis, æquato non modò Herophili rerum fulgore, ſed etiam
Dioſco-

Dioſcoridis prope, & magni Aſclepiadis. Verùm ſatis tibi non erat tot nominibus ad æternam gloriam contendiſſe, niſi etiam Melchiorem Guilandinum graui ære obſtrictum, ex manibus Numidarum, Maurorúmque gratis redimeres. Quod ille generoſi animi tui liberale donum, ſi non, ut par eſt, dignè olim penſabit, certè nulli vnquam obliuioni tradet, ſed, quemadmodum dicitur, trabali clauo figet, atque optima fide æternùm ſuſpendet. Nunc ad ſcapum papyri, pro quo, dum ego tyro eſſem, & medicinæ dogmatum rudis adhuc, memini in dilatandis fiſtularum, vlcerumque oris medullam milij Indici aſſumere Falloppium illum, quem multa conſcribere conantem de ea medicinæ parte, quæ manibus exercetur, fatorum inuidia terris eripuit, nondum annos natum quadraginta. Ex ijs quæ de ſcapo papyri commemoraui, lux infertur Alexandro pariter & Dioſcoridi: Alexandro quidem primo problematum XCIII, in quo quærit, cur aluo ſuppreſſa, & nihil reddente, papyrus conuoluta in longum ad inſtar cylindri, intruſaque in anum proſit. Nam quòd ſcapus papyri non teres â natura productus ſit, ſed triangularis, expediat verò, quæ in ſedem intrudi debent, teretia eſſe, ideo ligaturis, vinculisque vtile eſt, eum ad teretem figuram redigere, aſſicatumque, & oleo illitum in anum, cùm res poſtulat, reponere. Siquidem, ait Alexander, muſculos ſedis collapſos, compreſſosque diducit humefacta papyrus, & excitat. Quod ipſum etiam in vlceribus facit, quorum oræ importunè contrahuntur, & conniuent. Diductis autem muſculis, fœces excedunt, & quidquid affligit, reijcitur. Rectè itaque Gaza σφαιρώσαντες, Latinè dixit conuolutum in longum, tametſi σφαῖρα ſignificat pilam, globúmue. Dioſcorides autem illuſtratur, apud quem rectè legitur σκευασθεῖσα, id eſt

id est confecta siue apparata, pro quo Marcellus, & Cornarius malè substituerunt σκελετευθεῖσα, id est assiccata, quando & Alexander eodem quem proximè indicaui libro, dicat διάβροχον ὕδατος παρασκευάζειν τὸ στυπεῖον, stupam aqua madefacere. Sensus verò verborum Dioscoridis hic est: scapus papyri ritè ante omnia apparatus, atque compressus, humectatur nostra industria: deinde filo constrictus obuoluitur: mox siccari permittitur: demum exsiccatus, fistulis imponitur amoto filo. Quam uerborum Discoridis expositionem mirificè confirmat Serapio in opere de simplici medicina, capite CI, quod de Burdi inscribitur: Burdi, inquit citato nominatim Dioscoride, est notum, & ex eo fiunt chartæ: & utuntur eo medici, quando uolunt dilatare orificia fistularum: & quando volunt eo vti, infundunt eum primo in aqua, & postea ligant super eum linum, & dimittunt donec desiccetur, & postea dissoluunt, & ponunt in fistulis: quoniam quando manet intus, impletur humiditate, & tumescit, & dilatat. Hæc ille. A quo non dissentit Auicenna libro II canonis, capite DXLIV, quem studiosus lector consulere poterit unà cum Plinio libro XXIV, capite XI, scribente, papyrum, præcipuæ esse vtilitatis cùm inaruit, ad laxandas, siccandasque fistulas, & intumescendo ad introitum medicamentorum aperiendas. Galenus libro VIII de simplicium medicamentorum facultatibus tradit papyrum oxycrato, vinóue maceratum recentia vlcera glutinare circinatim circumpositum: quod præstare credendum est partim humiditatem ebibendo, & labra hiantia adducendo, partim, ut Galenus ait, medicamenta sanantia continendo. Sed & Aristotelis item error ex dictis â me de papyro palàm innotescit, negantis decimosexto problematum VIII, ullius plantæ cau-

les, truncósue forma triangulari, aut multiangulari constare. Quam philosophi asseuerationem redarguit αὐτοψία seu proprius aspectus, & oculata fides caulium papyri, sareos, cyperi, mamiræ, holoconitidis, clymeni, bunij, ballotæ, marrubij, melissophylli, anagallidis vtriusque, hormini vtriusque, cardiacæ, sideritidis heracleæ, scordij, pycnocomi, æthiopidis, & ne quid exemplorum etiam rusticis cognitorum desit, rubiæ, betonicæ, ebuli, saluiæ, fabæ, quæ stirpes omnes, caules partim quadratos, partim triangulos habent. Quare cùm falsum sit quod ab Aristotele affirmatur de plantarum caulibus, poterit posthac Matthæolus audacter, & tutò in eos animaduertere, qui arundines illas, quas Indicas vocant, quibus magnates debilem lapsantémque gressum fulciunt, quòd non triangulares, sed teretes sint, antiquorum papyrum non rectè statuerunt. Cæterùm altera papyri significatio est, qua Latinis extimus, summúsque scapi papyri cortex instar stirpi lenis glabérque uenit. Plinius libro XIII, capite XII: Post hanc papyrum est, extremúmque eius stirpo simile, ac ne ad funes quidem nisi in humore vtile. Tertiò significat papyrus simplicem phyluram, quam etiam tæniam, bracteam, laminámq; nuncupamus, quæ ab interiore scapi parte detracta, & glutine duplicata, præstabat dictam propriè chartam, Nam veteres, ut suo loco patebit, chartam concinnabant ex duabns bracteis inter se conglutinatis, quarum altera recta secundum naturalem scapi situm extendebatur, altera positione transuersa eidem inducebatur. Vlpianus de legatis III, qui est pandectarum XXXII, capite L: Chartis legatis, neque papyrum ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur. Ideoque Tranquillus, qui litteris consignauit Neronem plumbeam chartam supino pectore su-

ſtinuiſſe, ſi pro charta dixiſſet plumbeam papyrum, cui pari iure non poſſet. Quartò accipitur papyrus à Latinis pro charta perfecta & omnibus ſuis numeris abſoluta. Martialis libro III ad librum ſuum:

Cordylas madida tegas papyro.

Idem Xeniorum principio:

Perdite Niliacas muſæ mea damna papyros.

Apuleius in exordio aſini aurei: At ego tibi ſermone iſto Mileſio uarias fabulas conſeram, aureſque tuas beneuolas lepido ſuſurro permulceam, modò ſi papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inſcriptam nō ſpreueris inſpicere. Quintò ſignificat & radicem papyri, qua Ægypti etiamnum pro ligno ignis gratia utuntur, quemadmodum quondam feciſſe teſtatur Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius. Proinde Martialis libro VIII ad Titullum, innuens ueteres uſos eſſe papyro ad rogum, denotauit non ſuperficiem eius ſtirpis, ſed radices:

Fractus papyro dum tibi torus creſcit.

Quæ cauſſa eſt cur Iuriſconſultus libro proximè citato, capite LIII papyrum contineri ligni appellatione cenſeat. Lignorum, inquit, appellatione in quibuſdam regionibus, ut in Ægypto vbi arundine pro ligno vtuntur, & arundines, & papyrum comburitur, & herbulæ quædam, vel ſpinæ, uel uepres continebuntur. Vltimò capitur papyrus à Latinis & pro vinculo ex biblo Ægyptia intorto. Columella libro VI eiuſdem numeri capite: Atque ita ſub cauda ſanguis emittitur, qui cùm ſatis profluxit, inhibetur papyri ligamine. Nam intellexiſſe eum de papyro, quæ erat materia chartarum, non modò uerba Anacreontis, & Alcæi in ſecundum à me commentarium tranſcripta poſſunt oſtendere, ſed etiam Nicander videtur innuere, qui

docens

docens remedia aduersus lethale uirus buprestidis, iubet vt uomitum concitemus per detrusam in fauces pennam, aut intortum ἀπὸ βίβλου στρεπτόν, id est ex papyro funiculum. Reliqua sunt duo adhuc papyri significata, quæ ad septem ex commemoratis adijcienda censui, ne impingens in ea lector decipiatur, credens aliquod de prædictis indicari. Nam papyrus cuius meminit Auicenna libro canonis IIII, fen I, capite X, quod prænotatur de curationibus febrium acutarum, multùm differt ab omnibus septem papyri significationibus. Si, inquit, domus est proximi temporis ex quo linita fuerit luto, & propriè illo, in quo ponitur loco paleæ cottum papyri, tunc est melius. Vbi cottum papyri appellatur densa typhæ palustris panicula, quæ in pappos soluitur, qui in aures illapsi, exsurdant. Siquidem tum biblus, tum sari crinitam tantummodo iubam sustinent, cui nulla penitus lanugo insidet, adeo ut ea iubarum capillamenta nec humano quidem artificio quantumuis diligenter attrita, in lanuginem dissolui valeant. Accedit ad gratiam, quòd papyrus non magis gignitnr locis illis, in quibus Auicenna natus est, quàm sycomorus, & cassia stercoraria in Europa. Denique papyrum nuncupatur hodie ab omnibus & hoc chartæ genus, in quam hæc litterarum elementa depingo, quam ex linteolis ueteribus detritis, nulliúsque amplius usus, ac postea in lanuginem contritis passim confici, nemo est quem fugiat. Sed institutum repeto, ne fortè, dum manum poscor, ut dicitur, pedem porrigam. Quod ad papyri descriptionem â Plinio propositam attinet, eam tam claram perspicuámque faciunt uerba Theophrasti, â me statim in exordio huius commentarij adducta, ut inutilem sim operam positurus, si diutius in ea declaranda immorari uelim. Nisi quòd Plinium asserere ab errore non

possum, qui quatuor Theophrasti uerba, κόμην ἔχοντας ἀχρείαν, ἀσθενῆ, id est comamam inutilem, debilémque sustinentes, Latinè dixerit, thyrsi modo cacumen includens. Quod neque dictis â Theophrasto quadrat, qui papyrum gestare comam, non verò globum, aut spicam tradit, quibus thyrsus includitur, neque ueritati respondet, quæ Theophrasti sententiam palàm defendit, pro qua etiam stat Strabo geographicorum ultimo, papyro χαίτην, id est setam iubámue tribuens. At quantum sit discrimen inter comam siue iubam, & globum, spicámque, etiam utroque lumine orbi nouerunt. Certè thyrso modò globum, modò spicam imponi moris fuisse, præterquàm quòd antiqua marmora ostendunt, multa quoque auctorum loca fidem facere possunt. Et ne â Plinio discedam: quod Theophrastus in colocasia siue faba Ægyptia κώδιον περιφερὲς, id est caput rotundum globosúmq; uocauerat, Dioscoridi σφηκίον ἢ φυσκίον dictũ, Plinius libro XXI, capite XV apertè thyrsum nuncupat. Rursus quod Dioscorides de Alismate scripserat, καυλὸς θυρσοειδὴς, ἔχων κεφάλια, â Plinio libro XXV, capite X redditur, alisma cõstant capite thyrsi. Idem Dioscorides admonet acanthum gestare θυρσοειδῆ κεφαλὴν, id est caput thyrsi specie. Verùm vertex acanthi domesticæ, & alismatis præfert spicæ imaginem: colocasiæ uerò, & acanthi syluestris, globi. Græci etiam κωνοφόρους, hoc est coniferos uocant eos, qui in Bacchi exercitu, dum in Indiam proficisceretur, thyrsos ferebant, quòd thyrsi pineæ nucis speciem habeant, quæ κῶνος â Theophrasto nominatur. Ego de thyrso multa meis in epistolis, quas adhinc annos quatuordecim publicaui, quas si cui consulere uacat, inueniet, nisi fallor, quæ ad plenariam de thyrso cognitionem faciunt. Illud pro auctario addiderim Iudith postquàm amputatum Holofernis caput

put Betuliam aſportauit, intulitque, ſolenne feſtum Deo optimo maximo celebrauit, in quo tam ipſa quàm cæteræ mulieres thyrſis armatæ chorum duxiſſe narrantur capite penultimo libri Judith, quæ hiſtoria de Septuaginta uerſione accepta in uulgata Latinorum editione deſideratur. Ad quem locum reſpiciens Plutarchus ſympoſiacorum IIII, problemate V de Hebræorum ritibus, ſacriſque uerba faciens, in hæc uerba ſcriptum reliquit ἐστὶ καὶ κραδηφορία τις ἑορτὴ, καὶ θυρσοφορία παρ᾽ αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσιᾶσι. Quod Latinè dixerim: Eſt etiam ſolennitas quædam apud eos, quæ â geſtatis ramis, thyrſiſque denominari poſſit, in qua cum thyrſis templum frequentant. Ideoque legitur III Machabæorum VI Iudæos agitando Bacchanaliorum ſolenni coactos fuiſſe ab Antiocho hedera coronatos Baccho pompam ducere. γενομένης δὲ Διονυσίων ἑορτῆς, ἠναγκάζοντο οἱ ἰουδαῖοι κισσοὺς ἔχοντες πομπεύειν τῷ Διονύσῳ. Cuius dei telum eſſe thyrſum hedera obuinctum, teſtatur Macrobius libro VII ſaturnaliorum, capite I: Vt liber, inquit, pater thyrſo ferit per obligationem circumfuſæ hederæ latente mucrone. Et libro I eorundem ſaturnaliorum, capitis XIX principio: Colitur apud Lacedęmonios ſimulacrum Liberi patris haſta inſigne, non thyrſo. Sed cùm thyrſum tenet, quid aliud quàm latens telum geritur, cuius mucro hedera ambiente protegitur? Ex quibus locis euidenter admodum apparet, thyrſi cacumen non modò non mollem, & ad feriendum ineptam comam ſuſtinuiſſe, ſed magis exacuto uertice, & minaci ſummitate omnibus timendum fuiſſe. Vnde etiam apud Euripidem Bacchæ, alioquin inermes, nullóq; ferro horribiles, thyrſis obuios uerberant, atque uulnera etiam infligunt. Catullus in Argonauticis:

Horum

Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.

Itaque Mantuanus poëta ecloga V thyrsos periphrasticè appellat hastas.

Et folijs lentas intexere mollibus hastas.

Cæterùm cur Plinius libro XV, capite XXVIII papyri thyrsum siue caulem uocauerit pomum, declarant quæ idẽ auctor libro XIII, capite XI ex Theophrasto transcripsit, qui ait Ægyptios papyri caules, & crudos, & elixos, & assos manducare, succo tantùm deuorato, manso autem reiecto. Nemo tamen existimet Ægyptios totum integrúmque thyrsum deuorare, cuius illos proximam tantùm radici partem in cibum assumere uidi. Quod Herodotus quoque testatum facit in Euterpe ijs uerbis: Iam uerò Ægyptij biblum annuum ubi ẽ paludibus excerpserunt, superiorem eius partem amputant, quam in aliud quiddam conuertunt: quod relictum est inferius, longitudine cubitali, id edunt pariter, ac uendunt. Eo, si qui admodum suaui uti cupiunt, in luculento furno torrefactum ita comedunt. Quare errat Dioscorides, quique eum sequitur Pierius Valerianus in hieroglyphicis radices mandi memorantes, quas Ægyptij non mensis, sed ignibus suam ob duritiem admouent. Est nanque radix, quod uel terra occulitur, uel saltem proxime eam attingit, atque in quod alimentum nullo alio medio ẽ terra, aquáue attrahitur. Verùm papyri particula, qua Ægyptii uescuntur, neque intra terram absconditur, neque ei proximè cohærescit, neque item pabulum ex ea assumit, sed nutritur succo alimentari subiectarum decem cubitorum radicum, in quas crudum adhuc alimentum immediatè incurrit. Eæ radices haud insiguntur terræ paxilli modo, neque in rectum, sed obliquum aguntur, & summo cespite gradientes, expellunt copiosas utroque ab latere radiculas, quibus contra uentorum impe-

impetum, & aquarum Nili incursum seipsas tuentur atque communiunt. A maioribus emergunt thyrsi triangulares, & folia typhæ palustri similia, siue, ut dicit Elkaui, qui & Bubikir appellatur in libro de simplicibus medicamentis, duobus locis, capite CXLVII & DXLVII, gladiolo: minimè tamen acuta, sed obtusa. Pars thyrsi inferior, quia mollis est, & copioso, dulcíque succo abundat, æstur ab Ægiptijs, ideoq; totus, & integer thyrsus uocatus est ab Æschylo καρπὸς, id est fructus illo in Supplicibus senario.

βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν,

de quo supra fusius. Superior quem usum habeat, quod nunc consequitur membrum aperiet, unà cùm alijs quibusdam.

MEMBRVM VIII.

Radicibus incolæ pro ligno utuntur: nec ignis tantùm gratia, sed ad alia quoque utensilia uasorum. Ex ipso quidem papyro nauigia texunt. Et è libro uela, tegetesque, nec non & vestem, atque stragula, ac funes. Mandunt quoque crudum, decoctumque, succum tantùm deuorantes.

Commentarius Guilandini.

QVemadmodum nulla pernicies uitæ maior inueniri potest, quàm in malitia, ignorantiáque simulatio intelligentiæ: ex quo ista innumerabilia na-

scuntur,

ſcuntur, ut turpia pro honeſtis, iniuſta pro iuſtis, igno ta pro exploratis, & falſa pro ueris accipiantur: ſic certè uenia digni eſſe videantur, qui non decipiendi propoſito, ſed ſtudio iuuandi poſteritatem, aberaſſe aliquando â ueritate deprehenduntur. Nam, vt ait Ariſtoteles libro de prima philoſophia II, non ſolùm illis agendæ ſunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquieſcere auſit, ſed illis quoque qui craſſa, & pingui minerua de rebus diſſeruerunt. Siquidem etiam iſti communem hominum uitam adiuuiſſe uidentur, habitum noſtrum exercendo. Si enim Timotheus non fuiſſet, inquit, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus. Si tamen Phrynis non exſtitiſſet, ne Timotheus quidem. Quòd ſi hoc Ariſtoteles ille, qui ſolus hodie philoſophi nomine dignus habetur, dicendum ſibi putauit pro peccatis Phrynis, & Timothei, quantò ego cauſſatius Plinium excuſandum reor, qui vno atque altero Theophraſti uerbo non intellecto moneta Latina percutit, quæ auctor ille ne quidem per ſomnium unquam cogitauit. Sed producam ipſiſſima Theophraſti uerba paullò aliter quàm Gaza conuertit explicata, ut appareat quæcunque Plinius in papyro deſcribenda refert, inde ad verbum accepta eſſe. Radicibus, inquit eodem loco quem inter initia præcedentis commentarij indicaui, pro ligno utuntur, non tantùm ad vrendum, ſed ad vtenſilia quoque uaria facienda: quippe lignum multum, probúmque præſtant. Papyrus ipſa ad plurima utilis: etenim ex ea nauigia faciunt. Etiam ê biblo uela, tegetésque texunt, & ueſtem quandam, atque ſtragula, ac funes, aliáque plura: & quidem externis hominibus biblia euidentiſſima ex biblo texuntur. Sed papyrus ſummam, frequentiſſimámque opem, & in re cibaria præſtat. Omnes enim incolæ, & crudam, & elixam, & aſſam manducant

cant, & ſuccum abſorbent, manſum autem exſpuunt. Talis papyrus eſt, taléſque vſus præbet. Hactenus Theophraſtus. In cuius oratione vnum occurrit uerbum, quod neque Plinius, neque Gaza, neque ullus ex omnibus quotquot hodie exſtant ſcriptoribus intellexiſſe uidetur. Nam quòd Theophraſtus hic tradit: Etiam ê biblo uela, tegetéſque texunt, & veſtem quandam, atque ſtragula, ac funes, aliáque plura: id Plinius his verbis exprimit: Et ê libro vela, tegetéſque, necnon & veſtem, atque ſtragula, ac funes. Hunc videtur ſequuti Gaza, & alij, qui βίβλον, ex qua βιβλία, id eſt chartæ fiebant, pro libro ſiue cortice interpretantur. Sed in eo omnes iſti grauius delinquunt quàm vt vlla honeſta ratione excuſari poſſint. Nam ê diametro pugnat hoc cum ijs, quæ Plinius de chartarum confectura annotata reliquit. Præparantur, inquit, ex papyro chartæ, diuiſo ſcapo in prætenues, ſed quàm latiſſimas philuras. Principatus medio, atque inde ſciſſuræ ordine. Nunquam plures ſcapo philuræ, quàm vicenæ. Nec his contentus adijcit: extremum papyri corticem ſcirpo ſimilem tantùm abeſſe, vt idoneus ſit ad conficiendam chartam, ut ne ad funes quidem niſi in humore vtilis eſſe ſoleat. Verùm, ſi vox βίβλος in illo Theophraſti loco cum Plinio interpretanda eſt liber: iam Theophraſtus cùm ibidem etiam ſubiungens ſcribit ê biblo parari βιβλία externis hominibus euidentiſſima: affirmat ex cortice fieri chartam materiam uoluminum, & omnis generis codicum. Hæc verò δὶς διὰ πασῶν ſecum pugnare quis non uidet? Quod enim Plinius ſatis manifeſtè negat, id Theophraſtus iuxta Plinii interpretationem conſtantiſſimè affirmat. Sed Plinius videtur hæc uerba pro inſerticijs, & ſpurijs habuiſſe: ideóque etiam omnino neglexiſſe ubi hunc Theophraſti locum Latina moneta percuſſum in ſuum

opus transtulit. Quasi verò Plinius hac ratione satis excusatus sit in eo, quòd credidit spuria esse ea verba, quæ tamen potissimum vsum plantæ illius, de quo agit Theophrastus ibidem expediant. Decuítne Plinium tanto auctori cuius uerba propemodũ singula in suum opus translata, suo operi decori esse existimauit, huiusmodi notam inurere: quòd nempe potissimum quiddam omiserit? An verò etiam is non fuit istius plantæ vsus potissimus, quòd ex ea confecta est charta? Quibus igitur alijs verbis Theophrastus hunc ipsum exposuit: si hæc uerba sunt insertitia, & aliena, & non ipsius Theophrasti? Veniam sanè, quam Aristoteles cẽsuit dãdam esse Phryni, & Timotheo, libẽter damus etiam Plinio, & agnoscimus, quòd nimis somnolentus fuerit, dum hunc locum Theophrasti interpretatus est. Vt autem explicare possim, quomodo ratiocinatus sit Plinius in ista sua somnolentia, & quid eum primùm â ueritatis tramite incautum seduxerit: utendum mihi est uoce subiectum, lectórqne primum omnium admonendus, quòd uox illa in hac disputationis parte accipienda sit in eam sententiam, in qua ea utuntur logici, qui propositionis categoricæ partes numerant uel subiectum, & prædicatum tantùm, vel simul etiam copulam. Deinde meminerit lector, quòd Plinio, postquàm verba illa, Ex ipso quidem papyro nauigia texunt, de Theophrasto in suum opus transtulisset, & deinceps in Theophrasto inueniret scriptum, quòd ê biblo uela, tegetésque & alia pararentur: somnus obrepserit. Nam non est existimandum quòd Plinius animo fallendi nos mutationẽ illam illarum nomenclaturarum, quæ loca subiectorum in contextu Theophrasti tenent, ad diuersitatem rerum applicare uoluerit. Sed, quia dormitauit, aut sanè alijs quibusdam rebus â propositis speculationibus distractus fuit (quòd ipsum e-
quidem

quidem, quia eundem, quem ſomnolentia, effectum dare poteſt, etiam libet ſomnolentiam vocare) ideo in iſta ſua ſomnolentia putauit, ſicuti iam in loco ſubiecti eſt aliud nomen, quàm fuit in præcedente oratione, ita rem ipſam etiam nunc aliam ſignificari â Theophraſto. Atque hoc eſt deuium illud, quod Plinium ſomnolentum, & incautum tam procul ſeduxit â veritatis tramite. Ex hoc enim inconueniente imprudenter per ſomnolentiam præſuppoſito, non eſt mirum quòd deinceps etiam dormitans cortici magnificos illos uſus adſcripſit, quos, poſtquàm edormiuiſſet, nec recordaretur quid dormitans ſcripſerit, perſpicuè negauit ineſſe cortici, ubi tradit modum parandæ chartæ, dum inquit: extremum ſcirpo ſimile, ne ad funes quidem niſi in humore eſſe utile. Quòd verò cortici potius, quàm alteri cuidam parti uſus illos aſſignauit, ne vigilans quidem ex illa hypotheſi aliter ſtatuere poſſit: radici enim, vel iubæ omnino nulla ratione ea conuenire poſſunt: cùm tamen interim cortici vel ea ratione, quòd ſaltem ad aliquos funes, in humore nempe, eius vſus eſt, conuenire poteſt. In iſta verò eius ſomnolentia præterea etiam ſic fortè ratiocinatus eſt: vox βίβλος, quæ in hac oratione ſubiecti locum tenet, Græcis plerunq; librum ſignificat: voce liber non rarò corticem innuimus: itaque pro voce βίβλος in meum opus transferenda eſt uox liber, quæ poteſt intelligi de cortice. Cùm uerò ulterius progreſſus in Theophraſto etiam ſcriptum inueniret, ê biblo parari biblia, euidentiſſima etiam externis nationibus: non eſt mirum; quòd, præſuppoſitis illis, quæ commemorata ſunt, pro ſpurijs haberet ea, quæ tamen potiſſima ſunt: ſiquidem ea ex illis hypotheſibus non quod Theophraſtus docere uoluit, ſed lõgè diuerſiſſima non tantùm â Theophraſto, ſed ab ipſa etiam rei veritate ſignificant. Quid

enim magis dissonum, quàm dicere ex cortice parari chartam materiam potissimum uoluminum, & omnis generis codicum? Sed id tamen ex illis hypothesibus Plinij consequitur: eáque de caussa hæc uerba ei uisa sunt esse non Theophrasti genuina, sed â librario quodam stultè inserta. Verùm enimuero Theophrastus non est accusandus, quòd usum plantæ celeberrimum, ex quo assignato quis facilius intelligere potest, de qua re agatur: quo audito, quiuis etiam attentius audit reliqua, quæ de eadem planta dicuntur: plantæ in quam cuius usus enumerare præcipuè instituerat: eius inquam plantæ usum potissimum, & celeberrimum omiserit, atque neglexerit. Hac autem de caussa nec verba illa, quibus vsum stirpis illius antesignanum patefacit (vt sunt, quòd ê biblo conficiantur biblia etiam externis nationibus euidentissima) pro insertitijs uel spurijs habenda sunt. Porrò autem quia uerba hæc non sunt aliena: Plinius uero chartam ex nobiliori parte scapi parari solitam esse narrat: uox βίβλος, quam subaudire oportet, etiam hoc loco non de cortice, qui ne ad funes quidem nisi in humore vtilis est, sed de nobilissima istius plantæ parte accipienda est. Quapropter etiam non est vllo modo dubitandũ, quin in uerbis proximè præcedentibus quoque eadem illa vox nobiliorem illam plantæ partem significet: præsertim cùm valde eximij sint etiam isti vsus, eosque Plinius etiam neget inesse cortici, vbi agit de modo conficiendi chartam, ut aliquoties modò dictum est superius: nec quisquam moueri debet, sicut Plinius, propter mutationem illam nominum locum subiecti tenentium, ut credat res etiam diuersas intelligi: immo potius recordetur eorum, quæ supra tradita sunt de duabus his vocibus βίβλος, & πάπυρος: inde enim clarissimè patescit in nomenclaturis saltem esse differen-

tiam

tiam, rem autem ipſam eſſe vnam & eãdem. Varietas autem & mutatio hæc nominum in re eadem, non eſt peculiare quiddam huius ſaltem loci in Theophraſto, ſed paſſim alibi etiam in eodem auctore occurrit. Nam libro I de hiſtoria plantarum, capite XV idem hic auctor poſt enumeratas arbores æterna coma virentes, in quibus adrachnen, & comarum eſſe dixerat, mox in eodem verſu quaſi corrigens ſe, ait adrachnen, & œnarum folia inferiora abijcere, licet cacumine frondem nunquam amittant. Non autem neque in hoc loco pro varietate nominum res etiam varias ſignificari â Theophraſto, ſed & voce comarum, & voce œnarum deſignari vnam & eandem arborem, quæ â Latinis & arbutus, & vnedo appellatur, non tantùm ex ipſo Theophraſto diligens lector facilè animaduertit: ſed teſtimonio etiam Plinij, qui in hoc loco non ita dormitauit, vt in doctrina de Papyro, in ea ſententia confirmari poteſt. Is enim libro XVI, capite XXI agens de arboribus, quibus folia non decidunt, eum Theophraſti locum his verbis explicauit. Inter vtraque genera ſunt adrachne in Græcia, & vbique vnedo. Reliqua enim folia decidunt his, præterquam in cacuminibus. Vt non parua admiratio me capiat, Theodorum, qui hoc loco ὄιναρον feliciſſimè vnedonem reddiderat, eiuſdem libri capite VIII νυλέιαν magno errore vnedonẽ interpretari, vbi malus erat dicendũ, culpa tranſcribentium, quos νυλέιαν pro μηλέαν ſuppoſuiſſe, liquidò cõuincitur ex Plinio illo ipſo quem proximè citaui libro, capite XXXI. Eſt quoque vbi Plinius ἀδράχνην Latinè dixit vnedonem, quod ſi ſciuiſſet Theodorus, nouitium potulacæ vocabulum Latio donare faſtidiuiſſet. Sic xiphos, xiphion, & phaſganon, quibus vocibus Theophraſtus ita vtitur, ut tres ſtirpes eſſe videantur, nomina ſunt vnius tantùm plantæ.

tæ. Idem philoſophus καρύαν εὐβοϊκὴν, διὸς βάλανον, εὐβοϊκὸν, & κάρυον καςαναϊκὸν diſtinctis ſanè locis nominat, quamuis dictiones iſtæ omnes non niſi vnam caſtaneam ſignificant. Poſſem eius generis plura ex eo ſcriptore proferre, niſi loco oportuniori reſeruanda putarem. Non ſic Dioſcorides, quem nuſquam vnius plantæ duas appellationes locis ſeparatis poſuiſſe inuenies, quod ſicubi fecit, vt feciſſe non dubito, neque ſciens, neque abundè diligens, ſed planè neſcius fecit, credens duo eiuſdem gallinæ oua á differentibus ſpecie auibus eſſe prognata. Neque eſt quòd quis mihi hoc loco obijciat ex Matthæolo ixiam, de qua Dioſcorides in ſexto pertractat, nominari ab eodem in tertio chamæleontem inquiens. Primùm enim non eſt idem Dioſcorides, ad quem ſextus de uenenis pertinet, cum eo, qui quinque libros de materia medica concinnauit. Deinde verò cùm Matthæolus in penultima recognitione ſuæ in Dioſcoridem farraginis, quæ anno quinquageſimo octauo ſupra ſeſquimilleſimum prodijt, grauem Galeno colophum impegiſſet, quòd is, vt tunc ei videbatur, chamæleontem album ex lethalibus & mortiferis ſtirpibus eſſe ignorauerit, admonitus Theone meo, iniuriam quidem Galeno factam in poſtrema editione, quam anno ſexageſimoquinto publicauit, tacitè abſterſit, ſed ita vt malam ſententiam propemodum in deteriorem commutaſſe videatur. Nam agnoſcens culpam, ſed confiteri erubeſcens, vt veteri errori quoquo modo patrocinaretur, ac eum excuſabilem faceret, ait ſcripſiſſe quidē ſe antè ixiam eſſe viſcum chamæleontis (verùm cuius chamæleontis, vrbanè præterit) non ob id tamen ſibi vitio vertendum eſſe, præſertim cùm non minus venenoſum eſſe ſciat huiuſce plantæ gummi, quàm ſit ipſa radix. O iniquitatem inſignem. An non antea ſcripſerat ixiam eſſe

viſcum chamæleontis albi? Quomodo ergo audet im potens antiquo errori patrocinium per nouum peccatum, & quidem priore multò grauius adornare? Siquidem & gummi, ipſamque radicem, ex qua illud manat, venenum eſſe ſancit, quod non modò falſum eſt, ſed etiam ſuæ ſententiæ contrarium, quando libro tertio album chamæleontem negat eſſe venenum, oratione directò pugnante cùm pronunciato, quod in pe nultima recognitione ſtatuerat. Sed Matthæolo fortaſſe venia danda eſt, qui ob ingraueſcentem iam ſupra ſeptuaginta annorum ætatem, minus acutè tam animi quàm corporis luminibus cernit. Quæ decrepitatis ſuæ cæcitas permutauit eum ex albo in nigrum chamæ leontem, quem nunc, ſi dijs placet, ixiam eſſe defendit, nondum itione facta in meam, veritatisque ſenten tiam, qua docui ixiam, chamæleontem album, nigrumque, tres plantas eſſe non duas. Falsò autem mihi tribuit, ſcripſiſſe me ixiam Dioſcoridis, vocari â Theophraſto ixinam, â qua ſententia ſemper abhorrui. Scripſi nanque, & nunc quoque aſſero, tres eſſe ſtirpes ſpecie differentes, ixiam, chamæleontem album, atrumque; & inſuper Gazam notaui, qui ἰξίνην, & ἰξίαν nullo diſcrimine carduum pineam expoſuit. Quin in maximis verſatur tenebris ipſe Matthæolus, qui ixinam, & chamæleontem album vnam eandemq; Theophraſto plantam alternare exiſtimat. Etenim ixina auctore Theophraſto libro VI de hiſtoria plan tarum, capite IV haud multis prouenire locis poteſt: chamæleon verò vterque, eodem teſte libro IX, capite III, naſcuntur æquè omnibus locis. Adhæc ixina cauligera eſt, quippe quæ lacrymam, ut ait Theophraſtus libro proximè citato, capite I, ex caule fundit: chamæleon verò albus caule caret, & uiſcum de radice expellit, ſi fides eſt Dioſcoridi. Præterea ixina
â Theo-

â Theophraſto aliter acanus uocatur: at chamæleon albus, eodem auctore, habet caput acano ſimile: fieri ergo non poteſt ut ixina, & albus chamæleon una tantùm ſit planta. Sed, ut dixi, Matthæolo uenia danda eſt, qui auidè undique colligit, & nihil intelligit. Nam qui alicubi metipſe ingenuè fateatur, concinnatos â ſe in Dioſcoridem commentarios, non eruditis, & acri lotis aceto auribus ſcriptos eſſe, ſed imperitis rudibúſque hominibus, quomodo non uenia dignus erit? Monui etiam non debere quenquam moueri mutatione ſeu varietate illa nominum, quæ occurrunt in Theophraſto, vt propterea credat res diuerſas ibi ſignificari: ſiquidem uſitatiſſimum ſit Theophraſto unam rem uariatis ſubinde nominibus deſignare. Comprobaui quoque nihil aliud uoce, biblus, ſignificari ibidem apud Theophraſtum quàm ſcapum papyri, ſicut etiam uoce papyrus ibidem ferè nihil aliud ſignificatur. Præter hæc autem etiam notatu dignum eſt, quòd Theophraſtus maluerit dicere (quanquam implicitè & abſconditè) ex biblo parari biblia, vt ita non tantùm ex qua materia parata ſint biblia, ſed etiam quare biblia ſic appellata ſint ſimul & ſemel indicaret. Paullò uerò antè patentius & expeditius eadem uoce, hac de cauſa utitur Theophraſtus, quia pleraque, quæ ibi ex biblo confici tradit, biblijs ſunt ſimilia in eo, quòd ſicuti chartæ, ita etiam ea pleraque complicari & conuolui ſolent. Quamobrem iam etiam minus aliquem moueat mutatio illa nomenclaturarum, ut credat cum Plinio & alijs idem cum illo ſentientibus res ipſas etiam diuerſas eſſe: nec dubito, quin ut quiſque eſt doctiſſimus, ita ſententiæ â me traditæ accedet promptiſſimè: niſi quòd haud defuturos proſpicio, qui â me edocti auſint poſthac ſtudio contradicendi magis quàm veritatem eruendi mecum contendere, uerba illa Theo-

la Theophrasti, καὶ ἐμφανέστατα δὴ τοῖς ἔξω τὰ βιβλία, connecti non cum πλέκουσι, sed cum ποιοῦσι. Quam sententiam ideo sequi non possum, quòd βίβλον Græcis significare corticem, nusquam legerim. Cæterùm præter chartas, uela, funes, armamenta nautica uaria, tegetes, indumenta, stragula, quæ omnia ex scapo papyri apparabantur, fiebant etiam ipsa nauigia, quæ & si â Plinio libro VII, capite XXII appellantur naues papyraceæ, tamen existimandum non est toto corpore ex papyro suta atq; compacta fuisse. Sed quemadmodum narrat Herodotus libro II, nauigia quidem Ægyptiorum oneraria, sunt facta ex spina, cuius figura simillima est loto Cyrenææ, & cuius lacryma gummi est. Ex hac spina ligna concidunt, quæ magnitudine bicubitali, in formam lateris componunt, hunc in modum compingentes. Cuneis frequentibus, & longis circumnectunt bicubitalia ligna: vbi hunc in modum compegerunt, desuper frequentia transtra extendunt. Curuatis autem in arcus lignis non vtuntur, sed introrsum compages biblo innectunt. Gubernaculum unum faciunt, & hoc per carinam transit. Malo quoque spineo, & uelis ex biblo utuntur. Proinde Esaias propheta interminaturus Ægypto, exorditur caput XIIX his verbis: Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in uasis papyri super aquas. Vbi Septuaginta pro uasis papyri, habent ἐπιστολὰς βιβλίνας, quas ego interpretor ἐντολὰς βιβλίνας, id est mandata in chartis descripta. Vt vel vnus hic locus sufficere possit non moroso, & obstipa ceruice lectori, ad refellendum Varronem, fidem suam interponentem non ante Ptolemæum Philadelphum in chartis esse scriptitatum. Illustrauit etiam naues papyraceas Moysis adhuc infantis in aquam abiectio, quem ἐν θίβῃ παπύρου,

id est in fiscella papyracea, vel, ut vulgata editio habet, stirpea, ad Nilum Ægypti fluuium expositum fuisse, legitur Exodi secundo. Cúmque iam celare non posset, inquit propheta, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuítque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis. Vocabulum Hebraicum ibi est GOME, quod Rabi Dauid Kimhi exponit plantam leuissimam, vnde fiunt naues. Iosephus libro II archeologias, capite V describens arculam, in qua Moyses in Nilum depositus fuerat, vocat eam πλέγμα βίβλινον ἐμφερὲς τῇ κατασκευῇ κοιτίδι, id est texturam papyraceam similem compagi cunæ. Quem locum Gelenius, qui libros eos in Latinum vertit haud bona fide reddidit. Equidem quod Cicero de Senectute in cunis uagire dixerat, Gaza apposite ἐν κοιτίδι βαβάζειν transtulit. Adstipulatur Iosepho Clemẽs Alexandrinus libro I Stromatum in hæc verba scribens: ἐκ βίβλου τῆς ἐπιχωρίου σκεῦος ποιησάμενοι, τὸν Μωυσῆν ἐνθέμενοι. Quod Clementi est σκεῦος, & Iosepho πλέγμα, Septuaginta simpliciter θίβιν appellauerunt: quam dictionem Hesychius interpretatur πλεκτόν τι κιβωτοειδές, ὥς γλωσσοκομεῖον. Athenæus dipnosophistarum tertio: ὑέλους πίναξ ἐν θίβει κατακείμενος ἀργυρᾷ, uas significat siue thecam, quæ amplexabatur discum uitreum ne frangeretur in ferculis ferendis. A Plinio nominatur repositorium libro XXIIX, capite II, quod repositorium super antiquorum mensas reponebatur ad fercula collocanda, quæ subinde cum ipso repositorio afferebantur, & auferebantur. Bibente, inquit, conuiua mensam, uel repositorium tolli, inauspicatissimum iudicatur. Et libro IX, capite XI: Testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit prodigi, & sagacis

ad

ad luxuriæ instrumenta ingenij. Lucanus libro IIII de bello ciuili:

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Vbi pro Conseritur sunt qui legant Conficitur, quòd conserere naues pro conglutinare compingereq; naues, non conuenire Latiali sermoni arbitrantur. Equidem idem auctor in V puppes consertas dixit, quemadmodum & pugnam conserere eleganter dicimus,

Latumque per æquor
Vt terrestre coit consertis puppibus agmen.

Sed consertis ibi denotat vicinis connexísue, non autem compactis atque confectis. Ego tamen, Conseritur defendo auctoritate Pompei Festi, quem Pacuuij spartea serilla declarantem, animaduerto Latinè dicere nauigia, funésque conserere. Liberum esto suum cuique iudicium. Aristides sacrorum sermonum primo narrat Æsculapium in vlceris curatione dedisse sibi cùm alia remedia, tum calceos Ægyptios, quibus utuntur sacerdotes. Quo loco per calceos Ægyptios, quibus Ægyptiorum sacrificuli quondam induebantur, significari papyrum cognoscitur ex Herodoto, qui eodem, quem paullò ante demonstraui, libro Ægyptiorum flaminibus alios quàm biblinos seu papyraceos calceos gestare fas fuisse negat. Non prætererim quod ab Oro Apolline libro primo hieroglyphicorum refertur, docente Ægyptios antiquam originem significare picto papyri fasciculo, innuentes primum nutrimentum, cuius sicut & geniturae non facilè quis initium inuenerit. Interpres ibi τροφὰς non rectè educationem conuertit, cùm alimenta esset dicendum, quæ Ægyptios ex papyro assumpsisse multorum testimonio comprobaui. Sed ut medicis quoque inseruiam, admonendos eos habeo, non succedere papyrum nostram in locum papyri antiquorum, tum quia

ad fiſtulas aperiendas inepta eſt, quippe quæ humorem imbibere, ac intumeſcere neſciat; tum quia ſi uratur, pæne tota euaneſcit: tum etiam quia frigida facultate pollet non calida. Chartam autem, antiquorum primum caliditatis gradum occupare, ſiccitatisque ſecundum, teſtatur Auicenna libro II canonis, capite CLXXVII. Veruntamen cùm eiuſdem libri capite DXLIV ſcribat papyrum frigida qualitate pollere, poſſet quis non ſine graui ratione ambigere num re uera calida ſit an frigida veterum papyrus. Quam hæſitationem eſſe leuiuſculam intelliget quem non pigebit animum ad coriandrum aduertere. Dum enim coriandrum recens eſt, ac alimentari ſucco plenum, percipitur & magnopere fœtere, & vſque adeo refrigerare, vt in naturam veneni degeneret. At exſiccatum non modò non refrigerat, ſed contrà calefacit, nec iam fœtet, ſed aroma redolet, nec modò non venenati quidquam obtinet, ſed venenis etiam quibuſdam non parùm reſiſtit. Similiter papyrus dum natiuo humore etiamnum madet, refrigerandi potentiam nanciſcitur, reddita uerò aridior, calida eſſe incipit. Quare in medicamenta quæ papyrum ſiue chartam recipiūt, noſtra quæ tam recens quàm inueterata ſemper refrigerat, atque in uſtione ferè penitus euaneſcit, etiamſi quis magno cumulo comburat, aſſumi non debet. Equidem quandocunque papyri antiquorum indiget vſus, poterimus pro ea tutò ſubſtituere typham, nuſquam non in aquoſis Europæ naſcentem.

MEMBRVM IX.

Naſcitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Neque alijs uſus

est quàm inde funibus rex Antigonus in naualibus rebus, nondum sparto communicato. Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum intellectum est eundem usum habere chartæ. Et tamen adhuc malunt Parthi vestibus litteras intexere.

Commentarius Guilandini.

QVantum momenti afferant locorum situs, cœlorúmque tractus diuersi ad alendas, progignendas, peruertendásque quàm plurimas in mundo hoc inferiore aspectabilium rerum species, neminem esse tam leuiter in optimorum lectione auctorum exercitatum arbitror, quin legerit aliquando hederam nusquã trans Euphratem tota Asia præterquam in uno monte Mero inueniri, eandémque summo Harpali studio, & planè exquisitissimo cultus mangonio in Media, & apud Babylonios propagari non potuisse. Nisi enim dissidentes terrarum partes non essent dissimilibus humorum generibus disparatæ, quibus stirpes nutriuntur: ac nisi inclinatio cœlorum, solísque impetus rectis, aut obliquis radijs ferirent, vnde variè elementa miscentur, non tantùm ex Sinarum regione rhabarbarum, quo utimur, & china radix peterentur, neque in sola America guaiacum, & lignum sanctum virerent, neque in vnis Arabijs thus, & myrrha sudore promanarent, neque in Europa spartum non nisi in Hispania nasceretur. Quin experimento quoque uidemus

corpora extra ſedes ſuas â natura primò inditas collocata, labi, & interire, quoniam â loco tanquam à principio ſui ortus longè poſita ſint. Vnde non ſtirpium ſolùm plurimæ tranſlatæ, in Europa viuere nequeunt, in quêis ſunt ſycomorus, ſpina Arabica, caſſia ſtercoraria, perſea, balſamum: verùm etiam animalia ſi locum commutauerint, gignendi vires amittunt. Quæ cauſſa eſt cur rhinocerontes, & elephanti extra prima climata raró generantur, vltra quartum nunquam: leones, & tigres in ſexto, & ſeptimo non reperiuntur: alces, uri, biſontes non extra ea. Sic papyrum, ex qua chartæ quondam fiebant, prouenire alibi quàm in Ægypto, India, Babylone, & Syria cœle nunquam fuit intellectum. Pariter odoratus ille calamus, de quo Plinius hic meminit, tam pertinaci amore deperit Geneſareticum Syriæ lacum, â Matthæo mare Galilææ uocatum, ab Iohanne Tiberiadis, ut iuxta eum tantùm, nec alibi odore prǽditus naſci uelit, cætero qui â noſtratibus calamis nihilo differens, ſi Theophraſto, Vitruuio, atque ipſi adeo Plinio credimus. Nam calamus aromaticus, quem Dioſcorides in India gigni tradit, vbi ingens eius eſt prouentus, tantùm abeſt ut in Syria proueniat, ut nec uſquam in Arabia, niſi ex India importatus, inueniat. Quod cùm ignorauerit Plinius, & res ſpecie diuerſas pro vna acceperit, mirum non eſt ſcribere eum libro XII, capite XXII calamum odoratum, qui in India, atq; Syria naſcitur, pullulare quoque in Arabia, errore per Plutarchum quoque confirmato in libello, cui titulus eſt, Quod bruta ratione utuntur: Sanè cùm ego annos abhinc XII Damaſco proficiſcerer Hieroſolymam, hœſi inuitus apud lacum Geneſareticum, & Caparnaitas Chriſti miraculis celebres decem integros dies, quos medicorum calamo, iuncóque odoratis quærendis illic fruſtra impendi. Ve-

runtamen

runtamen uerissima esse cognoui, quæ scribit Theophrastus libro IX de historia plantarum, capite VII, repetítque libro vltimo de caussis plantarum, capite XXVII, calamum, & iuncum odoratos, qui in Aulone Syriæ proueniunt, nihil â communibus calamis, iuncísque discrepare: tametsi odorem, quem narrat ingredientibus locum statim occurrere, neque ego potuerim, neque alij item qui mecum erãt percipere. Sed hoc Theophrastum ex aliorum fide prodidisse credamus. Ipse suam sententiam dicturus capite XXI eiusdem libri, quem postremo citaui, negat calamum, & iuncum odoratos quidquam olere uirides: quanto ergo minus terræ hærentes? Quod rectè, ueréque ab eo assertum esse experimentum comprobauit, cùm calamum, iuncúmque iuxta Tiberiadem lectos, nostratibus nihilo dissimiles, mecúmque Hierosolymam asportatos, leuem quandam fragrantiam post quadragesimum diem spirare deprehendi. De ijs intellexit Strabo libro XVI iuncum aromaticum, calamumque gigni ad lacum Genesareticum memorans. At calamus aromaticus, quem medici magnificant, quique in sola India nascitur, vulgò in omnibus Ægypti, Syriæ, Iudææ, Mesopotamiæ, & Arabiæ pharmacopolijs venalis inuenitur, ijs ipsis quas Dioscorides retulit notis. Incolæ earum regionum Cassab offiri, & Cassab alderira nuncupant. Qui plura de eo cognoscere cupit, consulat Garciam Hortum proregum Lusitanicorum in India medicum, in eo opere,, quod de simplicibus medicamentis apud Indos nascentibus Lusitanico sermone publicauit, & studio, atque diligentia Caroli Clusij viri doctissimi Latinum legimus. Non alienum videtur, hoc loco repellere errorem Eustathij, qui Κάλαμον ἐρυθραῖον, id est calamum rubrum apud Dionysium in libello de situ orbis pro aromati-

co

co calamo rectè quidem interpretatur, verùm vocari rubrum, quòd India vſque ad rubrum perueniat oceanum falsò aſſerit. Nam India non modò non attingit mare rubrum, ſed multis paſſuum millibus ab eo abeſt: neque calamus aromaticus rubri appellationem ob aliud ſortitus eſt, quàm quòd ſit colore κιῤῥὸς, id eſt fuluus ruffúſue ut ſcribit Dioſcorides. Etſi autem Dionyſius calamum iſtum naſci in India uerè dixit, quando tamen inter Arabiæ etiam ſtirpes eum annumerat, non minus decipitur, quàm cùm caſſiam in eadem Arabia gigni canit, quam peti ex inſulis longiſſimè ab Arabia remotis, admirandis Luſitanorum nauigationibus exploratum habemus. Equidem calamum, quem priſcorum monumenta efferunt, non eſſe reponendum inter eas plantas, quæ in Syria gignuntur, non obſcurè colligitur ex Ieremia propheta, quando capite VI in perſona Dei optimi maximi ſacrificia Iudæorum ijs uerbis reijcit. Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaue olentem de terra longinqua? Apſyrtus quoque in compoſitione pulueris quadrigarij, referente Vegetio libro ultimo artis ueterinariæ, capite XIII manifeſtè diſcreuit inter calamum aromaticum, & calamum Syriacum, quorum ego alterum interpretandum reor pro Indico, alterum pro uulgari calamo, ſed in Aulone nato. Calamus odoratus, inquit Plinius loco citato, qui in Syria naſcitur, iuncúſque, nihil a cæteris ſui generis differunt aſpectu, ſed calamus præſtantior odore, ſtatímque ê longinquo inuitat. Cui ſentẽtiæ præter Theophraſtum locis indicatis ſubſcribit quoque Vitruuius libro VIII, capite III. Porrò autem qui ſint Indici calami, quos Democritus geoponicorum II uocari balitas, & meſtocalamos ait, diuinare non poſſum, niſi, quod ferè ſuſpicor, legendum ſit non meſtocalamus, ſed naſtocalamus: nec balita,

lita, ſed belita, ἀπὸ τῶν βέλων, id eſt â ſagittis, quas Dioſcorides factitari ex naſto memorat. Plura de calamis, ac ſtirpium per loca mutationibus dicere conantem prohibet ſpartum, quod ante Pœnorum arma, quibus, dudum uita functo Antigono, primùm Hiſpaniam afflixerunt, in Græcia notum fuiſſe negat Plinius non ſolùm hoc loco, verùm etiam libro XIX, capite II. Sparti, inquit, vſus multa Homeri poſt ſæcula cæptus eſt: nec ante Pœnorum arma, quæ primùm Hiſpaniæ intulerunt. Verùm enimuero exigere mihi res uidetur, ut quoniam de ſparto apud omnes promiſcuè ſcriptores mentionem fieri contingit, ſuper eo nonnulla hîc aperire, quæ neminem ex recentioribus hactenus deprehendiſſe animaduerto. Antequàm ab Indica peregrinatione, quam ſuperioribus annis magno animo, ſed euentu infelici ingreſſus fueram, in Europam reuertiſſem, nihil certi de ſparto ſtatutum habebam, quòd diſſonantes auctorum locos intelligere neſcirem, nondum uiſo aliarum gentium ſparto. Sed cùm Dei optimi maximi indulgentia reducem me ex Aſia, Africáque in Italiam feciſſet, cœpi intelligere ſparti non modò reuera tria â ſcriptoribus genera attingi, verùm etiam quod Dioſcorides delineauit ſine folijs, flore leucoij, ſiliquis phaſeli, nuſquam in Europa gigni. Ex his vnnm eſt, quod in Hiſpania, & Africa oritur, iuncus propriè aridi ſoli, uni terræ dato vitio, neque folium, neque florem, neque ſemen ferens, ſterilitate æterna infame. Hinc ſtrata agreſtibus eorum: hinc ignes, facéſque hinc calceamina, pilei, ſportæ, vrnæ, amphoræ, corbes, funes, & nauium armamenta, rudentes, prymneſiáque: animalibus noxium præterquàm cacuminum teneritate. De hoc intellexit Plinius tum hîc, tum quotieſcunque ſparti meminit, præterquàm vno loco tantùm, quem ſtatim indicabo. Ad-

hæc Cato, Varro, Paladius Columella, Liuius, Iustinus historicus, Verrius, Pacuuius, Latini omnes appellatione sparti, natam in Hispania stirpem denotasse uidentur, â Vitruuio libro VII architecturæ, capite III priuatim dictum spartum Hispanicum. Asseribus inquit, dispositis, tum tomice ex sparto Hispanico, arundines Græcæ tusæ ad eos (uti forma postulat) religentur. Iustinus libro ultimo historiarum de Hispania agens: Iam lini, spartique uis ingens, minij certè nulla feracior terra. Liuius decadis III libro II: Inde iam præda grauis ad Longunticam peruenit classis: vbi vis magna sparti fuit ad rem nauticam congesta ab Asdrubale. Serilla, inquit Pompeius Festus, appellari putat Verrius nauigia Istrica, ac Liburnica, quòd lino, ac sparto condensantur: â conserendo, & contexendo dicta: quia dicat Pacuuius in Niptris: Nec vlla subscus cohibet compagem aluei, sed suta lino, & sparteis serillibus: cùm περιφραςικῶς, & ficto vocabulo vsus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. Columella libro VI, capite XI de boum claudicantium remedijs disserens: At si iam in vngulis est, inter duos vngues cultello leuiter aperies. Postea linamenta sale, atque aceto imbuta applicantur, ac solea spartea pes induitur. Et capite XIV: Deinde spartea calceata per triduum suffuso aceto curatur. Idem libro XII, capite XIX: Isque qui præerit huic decoquendo, cola iuncea, vel spartea ex crudo, id est non malleato sparto præparata habeat. Palladius libro I, capite XXIV: Columbæ â mustelis tutæ fient, si inter eas frutex virgosus sine folijs, asper, vel vetus spartea proijciatur, qua animalia calceantur. Varro vicesimoquinto humanarum citante Gellio libro XVII, capite III: In Græcia sparti copia modò cæpit esse ex Hispania. Sparteas urnas, amphoras, funes annumerat

rat

rat in ſuppellectili villatica Cato capite III, & XI de re ruſtica. Aſconius Pedianus in ſecunda Verrinarum Ciceronis docet fiſcum, fiſcinam, fiſcellam, ſpartea eſſe utenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas: quanquam locus ille mendis non caret, ut ubique ferme miſerè corruptus eſt optimus ille Ciceronis interpres. Græci quandocunque ſparti huius meminerunt, non ſimpliciter ſpartum, ut Latini, ſed cum additione Hibericum, aut ſchœnoplocicum appellaſſe deprehenduntur: tametſi Strabo libro III de Hiſpania uerba faciens habet non modò σπάρτον σχοινοπλοκικὴν, verùm etiam γῆν σπαρτοφόρον, terram ſpartiferam, quam & σπαρτάριον πεδίον, id eſt ſolum ſiue campum ſpartarium ibidem nuncupat: in quo interpres decipitur σπάρτον σχοινοπλοκικὴν implicatum ſparto iuncum exponens, cùm dicere oportuiſſet, ſpartum ex quo nectuntur funes. Spartum autem Hibericum in magna apud antiquos fama fuiſſe refert Euſtathius ad ſecundam Iliadem. De hoc nulla, quod equidem ſciam, apud medicos Græcos mentio exſtat, multum ſparto, quod in eorum monumentis occurrit, ab Hiſpanico diuerſo. Quod ne ſine ratione â me dictum videatur, operæpretium eſt intelligere ſparti â medicis Græcis duo celebrari genera: unum quod â Dioſcoride deſcribitur folijs viduum, flore leucoij, ſiliquis phaſeli, hoc eſt piſi vulgaris, ſemine lenticulæ, mihi extra Aſiam minorem, Ciliciam, Syriam, & Arabiam nuſquam uiſum. Hoc quia Aſianis præſtat uſum uinculorum ad uites alligandas: Galenus libro VIII de ſimplicium medicamentorum facultatibus priuatim appellat σπάρτην ἀμπελοπλοκικὴν, ſpartum ſcilicet quo uites uinciuntur. Σπάρτη, φησὶ, ᾗ τὰς ἀμπέλους παρ᾽ ἡμῖν δεσμοῦσι: ſpartum, ait, quo uites apud nos ligant. Quod Dioſcorides quoque prior eo dixerat

xerat, quem ex Cilicia oriundum fuiſſe conſtat. Eius ſparti nullus Latinorum meminit, niſi ſicubi Plinius facultates illius per errorem geniſtæ tribuit, quæ geniſta conſtituit alterum medicorum Græcorum ſpartum. Etſi uerò iſtam Latinorum geniſtam medici Græci ſpartum nuncupant, tamen de eius efficacitate, uiribúſque ne hilum diſſerunt, quemadmodum neque de Hiſpanico ſparto, quod in tanto ſilentio etiam penitus ignoraſſe, aut ſaltem neglexiſſe uideri poſſunt. Eſt autem geniſta in Italia, Græcia, Hiſpania, tota Aſia minore notiſſimus frutex, cuius rami in plurimas uirgas diuiduntur, longitudine cubitales, iuncorum æmulas, tenues, lentas, flexiles, onuſtas folijs portulacæ oblongis, anguſtiſque, & fugacibus. Flores fert piſi, Maio, & Iunio menſibus, aureo colore ſplendentes, quibus ſuccedunt ſiliquæ longæ, incuruæ, dolicho ſiue ſmilaci hortenſi, hoc eſt phaſeolis uulgaribus quadantenus ſimiles, in quêis ſemina nigricantia, compreſſa, magnitudine, & pæne figura ſecuridacæ ſimilia: Itali geneſtram, Græci ſpartum etiamnum appellant, atque utrique uitibus alligandis eam accommodant. Circumſeritur aluearijs, quòd flores apibus gratiſſimi ſunt. Ex uirgis aqua maceratis fiunt funes, eædémque præparatæ torquentur in fila craſſiora ſaccis conficiendis aptiſſima. Differt â priore medicorum ſparto folijs, floribus, ſiliquis, ſemine, denique natalibus, cùm paſſim in Europa, Aſia, & Africa naſcatur, illo vix alibi quàm in Aſia pullulante. Galenus, quem non latebat duo eſſe ſparti genera uitibus uinciendis idonea, ſed alterum medicis expetitum, alterum neglectum, quemadmodum illud in cenſu medicamētorum ſimplicium vocat ſpartum, quo uites apud Aſianos alligantur, ſic hoc libro I de alimentorum facultatibus, capite IX appellat ſpartum, quo iumentis

tis ſoleæ nectuntur. Καθάπερ, φησὶ, ὁ σπάρτος ὀνομαζόμενος ἐστὶν, ἐξ οὗ πλέκουσιν ὑποδήματα τοῖς ὑποζυγίοις: Quale, inquit, eſt ſpartum uocitatum, ex quo iumentis ſoleæ nectuntur. Quod ſi Galenus ſpartum, quo in Aſia uites uinciebant, eandem eſſe plantam putaſſet cum eo, quod extra Aſiam eundem quidem uſum præſtabat, ſed præter eum quadrupedum quoque calceamentis ſolisue adhibebatur, non tam diſſimilibus uerbis utroque loco, nec fœminini in maſculinum permutatione uſus fuiſſet. Quanquam autem paullò antè ex Columella retulerim, ſoleas iumentorum ex ſparto Hiſpanico fieri, Galenum tamen intellexiſſe non hoc, ſed geniſtam ſuſpicor, adductus auctoritate Varronis, & Plinij, qui ſpartum Hiſpanicum ante ſecundum bellum Punicum, quo primùm tempore Carthaginenſes Hiſpaniam infeſto Marte urgere cæperunt, in Græcia, & Aſia compertum fuiſſe negant. At belli illius Punici ſecundi Amilcarem maximam cauſſam exſtitiſſe, quantumuis decennio ante mortuum, multis argumentis ratum facit Polybius in tertio hiſtoriarum libro, cùm ſparto in Aſia multò antè iumenta calcearentur. Nam Ariſtoteles libro II de hiſtoria animalium, capite I teſtatum reliquit camelos, quia pedes eorum veſtigio ſint carnoſi, calceari carbatinis, ne ſcilicet in exercitu longiore itinere fatiſcant. Vbi per carbatinas, quæ, vt habet Pollux libro VII onomaſtici, calceamenti genus ſunt ruſtici, non poſſumus intelligere carbaſum genus lini tenuiſſimi in Hiſpania reperti, qua antiqui opulentiæ cauſſa amiciebantur ut ſerico: unde Virgilius XI æneidos

tum croceam chlamidem, ſinusque crepantes
Carbaſeos, fuluo in nodum collegerat auro.

Quintus Curtius libro VIII: Indi corpora uſque ad pedes carbaſo uelant. Et paullo poſt: Rex Indorum

aurea

aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. Distincta sunt auro, & purpura carbasa, quæ indutus est. Sed nec amiantum Dioscoridi dictum, & à Pausania linum carpasium nuncupatum, â Plinio verò viuum, & asbestinum accipere licet, quando, ut idem ait Plinius, lino ei datur principatus in toto orbe, & rarum inuentu est, nec nisi in desertis, adustisque sole Indiæ locis nascitur, ubi non cadunt imbres, inter diros serpentes, & cùm inuentum fuerit, æquat pretium excellentium margaritarum. Reliquum ergo fit ut genus aliquod sparti intelligamus, non quidem Hispanicum, quod Græcia iuxta atque Asia ante Antigonum, & secundum bellum Punicum ignorauit, ergo alterum, hoc est Latinorum genistam, de qua loqui Galenum soleas quadrupedum ex sparto concinnantem dixi, & ex qua in Asia fieri lina ad retia præcipua, in piscando durantia, frutice madefacto decem diebus, scribit Plinius capite primo eiusdem libri, quem postremò nominaui. Quæ Plinij attestatio nequit ad spartum Hispanicum pertinere, quando idem auctor libro XXIV, capite IX non tam addubitauit, quàm palàm distinxit inter genistam, & spartum in Hispania nascens. Dubito, inquit, nunquid genistam designauerit Homerus, cùm dixit nauium sparta dissoluta: nondum enim fuisse Africanum, vel Hispanum spartum in vsu certum est. Et cùm sutiles fierent naues, lino tamen non sparto unquam sutas. In quo vehementer admiror Plinium, spartum, quod Homerus designauit, dubitantem num sit genista, cùm ea de re dubitandum non erat siquidem quod ait naues lino non sparto sutas fuisse, partim uerum est, partim falsum. Verum quidem naues Homeri tempore sparto Hispanico sutas non fuisse, falsum autem linum satiuum â poëta uocari spartum. Locus est in secunda Iliade:

καὶ

καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται:
Id eſt, Tignáque ſunt nauium putrefacta, & ſparta ſoluta. Quem verſum M Varro apud Gellium loco commemorato ijs verbis illuſtrauit: Ego ſparta apud Homerum non plus ſpartum ſignificare puto, quàm σπάρτους, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia ſparti copia modò cœpit eſſe ex Hiſpania. Neque ea ipſa facultate vſi Liburni, ſed hi plerunque naues loris ſuebant, Græci magis cannabo, & ſtuppa, cæteriſque ſatiuis rebus, â quibus σπάρτα appellabant. Hæc Varro, atque hunc ſequutus Plinius libro XIX, capitis primi calce, ſparta interpretatur ſata, quaſi non σπάρτα accẽtu in priore, ſed σπαρτὰ accentu in ultima legendum foret, ſententia per Gellium quoque confirmata. Sed decipiuntur qui ita ſentiunt. Etenim ſparta apud poëtam neque linum, neque cannabem, neque omnino ſata ſignificant, ſed funes ex ſparto conſtantes, hoc eſt de geniſta compactos. Sanè Plinius eiuſdem libri, quem proximè allegaui capite II Græcos iunco ad funes uſos nomini credi uult, quo ſtirpem eam appellant, & nos ſparta pro funibus interpretari uerebimur? Atqui Euſtathius ibi σπάρτα exponit τὰ ἐκ σπάρτου τοῦ φυτοῦ σχοινία, id eſt funes de ſparto planta intortos. Cæterùm reſtes uocari σπάρτα more antiquo adſtruitur ibidem ab Euſtathio, & licet cognoſcere tum ex Dorica quadã parœmia, quæ refertur ab Apollonij ſcholiographis, τὸν λίθον ποτὶ τὸν σπάρτον ἄγειν, id eſt, lapidem ad funiculum admouere: qua monemur nihil præpoſtero ordine, ſed omnia rite agere: tum ex ſacris Hebræorum litteris, in quibus funes non raró σπαρτία ab Septuaginta interpretibus appellantur. Ioſue capite II: Innoxij erimus â iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi, ingredientibus nobis ciuitatem, fuerit τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον, funis iſte coccineus in fene-

ſtra

ſtra ligatus,per quē nos demiſiſti. Qui locus ut palàm redarguit Varronem, Plinium, Gellium, ſparta pro cannabe, ſtuppa, linóue,aut ſatis exponentes, ſic certè ſpartum, qualecunque tandem fuerit, multò ante Antigonum, & bellum Punicum ſecundum torqueri in funes conſueuiſſe, euincit. Quod & Plinius ipſe probare uidetur, cùm ex geniſta in Aſia fieri lina, caſſesque teſtatur, & quando geniſtam libro XI, capite VIII expreſsè ſpartum nominaſſe deprehenditur. Ceras, inquit, ex omnium arborum, ſatorúmque floribus conficiunt apes excepta rumice, & chenopode. Herbarum hæc genera. Falsò excipitur & ſpartum, quippe cùm in Hiſpania multa in ſpartarijs mella herbam eam ſapiant. Vbi ſpartum ſignificare geniſtam non dubito, quam idem auctor apibus gratiſſimam, circáque aluearia conſeri perhibet. De geniſta quo que loquutus eſt Varro libro I rerum ruſticarum, ca pite XXIII ſpartum ſemine conſerens. Alia,inquit, alio loco ſerenda,ut habeas vimina,vnde viendo quid facias, vt ſcirpeas, vallos, crates. Alio loco vt ſeras, & colas ſyluam cæduam: alio ubi aucupere. Sic vbi cannabem,linum,iuncum, ſpartum,vnde lineas reſtes, funes facias,quoque nectas bobus ſoleas. Sic nanque legendum arbitror, non ut impreſſi habent codices, quibus nectas boues paleas. Siquidem laborantes ex pedibus boues ſolea ſpartea indui ex Columella docui, non obſtante quòd ſpartum Hiſpanicum in eo ac cipiam. Quod ne in Plinio, & Varrone intelligam, in cauſſa eſt florum, ſeminumque defectus: ne ſpartum Dioſcoridis, quia id in Hiſpania gigni recentiores fal sò ſibi perſuaſerunt. Leuior autem eſt illa Plinij coniectura, qua vtitur ad corroborandam ſuam pariter & Varronis opinionem,ſpartum regnante Antigono non dum agnitum fuiſſe, quòd Theophraſtus nullam omnino

nino

nino mentionem eius faciat, cuncta cura magna perse-quutus quadringentis nonaginta annis ante se. Etsi enim Theophrastus spartum silentio præterijt, tamen magister eius Aristoteles libro IX de historia animalium, capite XL docet apes ex floribus sparti ceram conficere. Qui philosophi locus damnat simul atque defendit Plinium: damnat quidem quòd spartum simpliciter post Antigonũ in Græcia innotuisse ait: defendit autem quia spartum, quod ante Antigonum in Græcia celebrabatur, non erat Hispanicum, vtpote floribus destitutum, sed genista floribus abundans, atque in Græcia nascens. Præterea collustrat locus ille verba Plinij proximè declarata, spartum, ex quo apes in Hispania ceram colligunt, inter florentes consistere stirpes, & planè cum genista conuenire. Sed enim falluntur Marcellus Virgilius, & Stephanus Aqueus linospartum apud Theophrastum pro sparto, quæ genista sit, interpretantes, decepti auctoritate Gazæ, qui linogenistam pro linum satiuum transtulit. Nam quod Theophrastus linospartum composito nomine dixit, Dioscorides in Thymelæa diuisim spartum linum extulit, Neq; obstat quidquã multitudo corticum, quibus linum satiuum non tam densè atq; cepa uestitur, quando sat est, quòd abieti, uiti, & tritico non concedit, quas stirpes inter polylopa idem Theophrastus reponit. Finem de sparto faciam, ubi annotauero spartum, & spartium in mechanicis Aristotelis appellari lingulam cum axe, circa quem iugum libræ rotatur, quando scilicet æquatis utrinque lancibus, altera ex eis in alterutram partem declinat. Quidam â Latinis trutinam dici arbitrantur. In hæc diuertere habui necesse propter eos, qui spartum Hispanicum, plantam alioqui sterilissimam, floribus, thecis, seminibus onustam publicatis iconibus spectandam proposuerunt. Sed & il-

lud quoque priusquàm de sparto dicere desino, lectorem, loci Strabonis supra â me citati propinquitate adductus, commonendum habeo. Cùm enim Strabo illo ipso in loco dixisset excurrere per campum Spartarium montem Orospedam, statim subiungit, eum terrarum tractum, quem Iberus interluit, multarum gentium esse sedem ac domicilium, in quêis notissima fama Iaccetanam exist ere. Hanc ab Pyrenes radicibus extendi in planiciem usque ad Ilerdæ, & Ileoscæ Ilergetum non procul ab Ibero regiones, orásue terrarum. Quibus in ciuitatibus Sertorius uir summæ quidem, sed calamitosæ uirtutis extremum depugnauerit, demumque morbo perierit. Siquidem uerò Plutarchus, Appianus, Florus, Eutropius testantur Sertorium non inualetudine aliqua sublatum, sed ferro per domesticam fraudem â Perpenna trucidatum, fuisse, apparet Strabonem aliàs ueritatis studiosissimũ quíque Sertorianis temporibus proximus fuit, rem aliter quàm gesta fuit, quámque posteriores uno ore omnes narrauerunt, prodere non potuisse. In quod cùm oculos, animúmque aduertisset Claudius Puteanus nobili apud Parisiorum Lutetiam familia natus, iuuenis cùm multarum rerum scientia præclarè instructus, & Latinè, atque Græcè, omnísque uetustatis insigniter doctus, tum morum probitate, & animi candore suspiciendus, sagaciter admodum deprehendit, relatam â me Strabonis sententiam duplici uitio laborare, tum quia nullus est non in tractu modo Ilergetum populorum, sed ne in uniuersa quidem Hispania locus, qui Ileosca appellatur, tum quia Sertorium ferro non morbo occubuisse certum est. Itaque Puteanus ille, quo cum iucunda mihi necessitudo intercedit, rectè censet pro Ileosca legendum esse Osca, â qua Oscenses dicuntur Plinio, quemadmodum idem au-

ctor

ctor ab Ilerda Ilerdenſes indigitat, quorum utrorunque ciuitates nominatim Ilergetibus Ptolemæus adſcribit: ac pro ἐτελεύτα δὲ νόσῳ, id eſt perijt uerò morbo: acutiſſimè, ἐτελεύτα δ' ἐν ὄσκῃ, id eſt perijt uerò Oſcæ, reponit. Etenim Oſcam fuiſſe ex præcipuis, & tutiſſimis Sertorij receptaculis, non obſcurè colligitur ex Plutarcho in eius uita, ſcribente Sertorium Hiſpanorum filios, qui Oſcæ educabantur, partim iugulaſſe, partim ſub corona uendidiſſe. Vt uериſimile eſſe videatur ipſum quoque Sertorium Oſcæ interfectum fuiſſe. Cæterùm Ilergetum Hiſpaniæ populorum, qui modò Nauarienſes dicuntur, meminerunt poſt Strabonem Plinius quoque, & Liuius aliquoties. Redeo ad papyrum, quam Plinius ait naſci etiam in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Neque alijs uſum eſſe, quàm inde funibus regem Antigonum. Quæ omnia tranſcripſiſſe eum apparet ex Theophraſti quarto de hiſtoria plantarum capite IX, ubi in hæc uerba legitur. Naſcitur & in Syria papyrus, circa locum, quo & calamus odoratus: unde & Antigonus in re nauali funes feciſſe proditur. Quod uerò ſubiungit Plinius, papyrum gigni quoque in Euphrate circa Babylonem, teſtor uidiſſe me in Chaldæa, quà duo amnes Tigris, & Euphrates concurrunt, per amplas paludes, ex quibus papyrum nihilo diſcrepantem à Niliaca, Gennеſareticáque meis manibus erui atque euulſi. Siquidem uerò Meſopotamia poſita erat in confinio Romani, & Parthici imperiorum, ac ſemper utrarunque gentium excurſionibus patuit, miratur Plinius maluiſſe Parthos, penes quos, uelut diuiſione orbis cum Romanis facta, tunc orientis imperium erat, & qui ea Meſopotamiæ parte potiebantur, ubi papyrus copioſè oritur, litteras ueſtibus intexere, quàm chartas ex ſcapo papyri conſerere atque conficere. Scri-

bit Iuſtinus libro XLI hiſtoriarum ueſtem Parthis olim quidem ſui moris fuiſſe, ſed poſteaquàm acceſſere opes bello partæ, ut Medis perlucidam, ac fluidam. Medicam uerò ueſtem eandem eſſe cum Serica auctor eſt Procopius libro II de bello Vandalico. Vandali, inquit, omnium ſunt quos ſciam molliſſimi, atque delicatiſſimi. Menſa quotidie copioſa utuntur, tum omnium rerum, quas Africa fert referta. Geſtant ueſtem Medicam, ac ſumptuoſam, quam Sericam uocant, Idem libro I de bello Perſico: Regnantibus apud Æthiopes Helliſthæo, apud Homeritas uerò Eſimiphæo, Iuſtinianus imperator Iulianum legatum reges ambos rogatum miſit ob communem in Chriſtum fidem, ut ſibi contra Perſas eſſent auxilio: ut Æthiopes quidem ex Indis ſericum mercantes, ac Romæis mittentes, ipſi quidem pecuniæ maximæ ſint domini: Romæis uerò cauſſa exiſtant, ut non amplius nummos in hoſtes ſerici emendi gratia transferre cogantur: ex quo ueſtem conficere conſueuerunt, quam olim Medicam, nunc uerò Sericam uocant. In hanc materiam intexuiſſe Parthos litteras, quas ad Romanorum Imperatores de belli, pacisque conditionibus ſanciendis miſſitabant, probabile uideri poteſt, quando ob naturalem animi faſtum, & duo de uiginti regnorum amplitudinem, nulla re Romanis inferiores uideri uellent.

MEMBRVM X.

Præparantur ex eo chartæ, diuiſo acu in prætenues, ſed quàm latiſsimas philuras. Principatus medio, atque inde ſciſſuræ ordine.

Corre-

Correctio Guilandini.

Præparantur ex eo chartæ, diuiso scapo in prætenues, sed quàm longissimas philuras. Principatus &c.

Commentarius Guilandini.

EXpositis hucusque ab auctore quæ ad chartarum inuentionem, plantæ unde conficiebantur delineationem, & locum natalem attinebant, nunc genera, differentias, & rationem confecturæ earum docere contendit. Ad quarum ego rerum declarationem antequàm accedam, commonendus mihi est lector, multas in ijs quæ deinceps sequentur Plinij uerbis ambiguitates occurrere, quas omnes facilè superabit, quisquis duodecim eo in scriptore uerba, quibus posthac vtetur, rite intellexerit. Quæ ne frequenti, ideóque tædiosa iteratione subinde repetere necesse habeam, operæpretium est semel hîc adscribere, eo prorsus ordine, quo in Plinij oratione posita inueniuntur. Sunt autem hæc: philura, ramentum, papyrum, tabula, scheda, cutis, plagula, corium, statumen, subtegmen, pagina, tænia. Quæ dictiones omnes tantùm abest vt prolixius â me enodari debeant, quod ego munus grammaticis relinquo, vt nullum etiam lectori negotium, mea sententia, possint facessere, quando una tantùm omnibus res indicatur, Plinio bracteam singularem, laminámue simplicem, & qualis â scapo papyri auellitur, appellante totidem ferme nominibus, quot bracteæ â scapo abstrahuntur, nullo nisi schedæ bis repetito. Scapus nanque, hoc est caulis papyri, amputatis vtrinque extremitatibus, vtpote minus ad chartas conficiendas idoneis, diuidebatur secundùm longitudinem in duas partes æquales, â quibus postea abripie

bantur

bantur singulares philuræ, siue bracteæ, quæ quô longius ab extimo scapi cortice distabant, eò erant præstantiores, & quô cortici appropinquabant magis, eò deteriores: vnde varia chartarum genera apparabantur. Hoc enim illud est quod dicit Plinius: principatus medio, atque inde scissuræ ordine. Et mox: post hanc Saitica, ex uilioribus ramentis: propiórq; etiamnum cortici Tæniotica. Iterúmque: iunguntur inter se plagulæ, proximarum semper diminutione ad deterrimas. Nunquam plures scapo quam vicenæ. Vnde nos primam correctionis nostræ occasionem hausimus, qui non diuiso acu in quàm latissimas philuras, vt impressi habent codices, sed diuiso scapo in quàm longissimas philuras legendum esse censemus, quando & dicat auctor schedas, hoc est bracteas tanta constare longitudine, quanta potuit esse scapi ipsius papyri, segminibus, id est extremitatibus vtrinque amputatis. Etenim extremitates caulium papyri amputabantur, quòd essent ad chartarum vsum ineptæ, altera quidem, quàm pomum vocari dixi, propter nimiam meatuum laxitatem, qui nec in arefactis philuris coire solent: altera, quæ comam inutilem, debilémque sustinet, siue, vt Plinij verbis vtar, quæ thyrsi modo cacumen includit, propter gracilitatem, bracteas nec semidigitum latas continens, & ob ariditatem alioqui diuidentibus minus obediens. Nec valeo intelligere quomodo â scapo quadricubitali, qui, quâ crassissimus est, manu comprehensus ambitur, queant auelli philuræ latæ magis quàm longæ, aut saltem quæ quàm latissimæ dici mereantur. Taceo quòd opus fuit ferro acutissimo, subtilissimóque tres digitos lato, quo ramenta siue philuræ â scapo diuellebantur, acu eam ad rem nihil emolumenti præstante, sed inutili prorsus abijciendáque.

MEMBRVM XI.

Hieratica appellatur antiquitus, religiosis tantùm voluminibus dicata, quæ ab adulatione Augusti nomen accepit, sicut secunda Liuiæ à coniuge eius. Ita descendit Hieratica in tertium nomen.

Commentarius Guilandini.

ETsi Adrianus Turnebus eximia atque præstanti doctrina, clarissimúmque Galliæ suæ ornamentum, in libris sex de triginta Aduersariorum eruditissimis, multa feliciter in veterum monumentis emendauerit, restituerit, explicauerit: tamen in huius loci enarratione tantùm abest vt aliquid dignum laude præstiterit, vt multæ etiam culpæ obnoxium se fecisse deprehendatur. Etenim genus chartæ, quam Plinius ait dici antiquitus Hieraticam ob sacrorum uoluminum honorem: recentius verò ab geminata adulatione modò Augustam, modò Liuianam: ipse libro VII, capite II pro tribus chartarum generibus magno, & pudendo errore annumerat. Fefellit hominem uocabulum SECVNDA, quod ratus rectum casum esse, Liuianam ab Augusta separauit, atque hanc ab Hieratica, cùm sit obliquorum ultimus, possitq; etiam SECVNDO, vt aduerbium legi. Sententia nanque est, chartam, qua prisci mortales ad religiosa volumina vtebantur, prius Hieraticam fuisse nominatam, posterius adulatorijs nominibus Augustam, Liuianámque: hoc est ab prima adulatione accepisse nomen Augusti, sicut ab

secunda

ſecunda adulatione Liuiæ, atque ita Hieraticam tripli ci appellatione inclaruiſſe. Nec contentus Turnebus ex unico iſto chartæ genere, tres in Plinio ſpecies feciſ ſe, quartam inſuper adijcit, quam â Lucano Memphiticam uocari putat iſto verſu:

Conficitur bibula Memphitis charta papyro.

Sed impoſuit homini Iſidorus, qui libro VI etymologiarum, capite X illum Lucani verſum haud bona fide reddidit, in cuius IIII de bello ciuili ita legitur:

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

De quo nos in ſuperioribus plura. Nulla igitur eſt Lucano charta Memphitica, quemadmodum neque Auguſta, neque Liuiana Plinio, quæ non ſit eadem cum Hieratica. Nam Plinius oſtendens inferius quanta eſſet chartæ vniuſcuiuſque latitudo, nullam prorſus Auguſtæ, Liuianæue mentionem feciſſe inuenitur, quòd nimirum eandem eſſe cum Hieratica nouiſſet, atque dixiſſet. Magna, inquit, in latitudine chartarum differentia. Tredecim digitorum optimis. Duo detrahuntur Hieraticæ. Faſniana denos habet. Et vno minus Amphitheatrica. Pauciores Saitica, nec malleo ſufficit. Nam emporeticæ breuitas ſex digitos non excedit. Pedalis erat menſura, & cubitalis macrocollis. Hactenus ille. Vbi optimam vocauit, quæ in ſequentibus Claudia appellatur, quam Claudium Cæſarem primò confeciſſe ex Auguſta, ſiue Hieratica ait, adiecta ad binas eius philuras, quibus conſerta erat, tertia bractea, & ad vndecim digitorum latitudinem, aliorum duorum menſura. Cæterùm Strabo geographicorum vltimo non tam chartæ genus, quàm ipſam papyri ſtirpem appellat Hieraticam, quam & abundare tradit in parte Deltæ, quæ dicitur inferior, quoniam ibi præcipuè colatur: & duorum eſſe generum, deteriorem,

&me-

& meliorem, quæ Hieratica dicatur, vnde & nomen chartæ præſtantiori Plinium impoſuiſſe arbitror.

MEMBRVM XII.

Proximum Amphitheatricæ datum fuerat à confecturæ loco.

Correctio Guilandini.

Proximum Athribiticæ datum fuerat &c.

Commentarius Guilandini.

QVemadmodum qui proximis litori uadis inducti marepedibus ingrediuntur, quô longius â tellure abſceſſerint, in uaſtiorem ſe altitudinem, ac uelut profundum immergunt: non diſſimiliter mihi in his commentarijs euenire animaduerto, quòd ſcribendo progrediens, ſubinde in nouas ſyrtes inuehor, & creſcunt pæne difficultates, quæ primas quaſque perficiendo minui uidebantur. Equidem diu, multúmque me ſolicitum tenuit, qui nam in Ægypto locus fuerit Amphitheatrum, â quo charta Amphitheatrica nomen accepiſſe ſcribitur, cui auctor ſecundas ab Hieratica tribuit. Cùm enim chartam omnem non niſi una in Ægypto confici quondam cõſueſſe diuerſis auctorum teſtimonijs innoteſcat, extra uerò eam interpolari, atque retexi potuiſſe nihil prohibeat, & Plinius dicat, apparet Amphitheatricam, quæ ex recuratis non erat ſed inter primarias, miniméque immutatas,

necessariò in Ægypto confectam fuisse, atque ideo nomen non nisi ab eius regionis loco inuenisse. Verùm cùm nullus prorsus in tota Ægypto locus habeatur, vnde nomenclatura illa fluere potuerit, in sententiam venio scripsisse Plinium non Amphitheatricam, sed magis Athribiticã, â nomo siue præfectura Ægypti Athribitica, cuius Strabo libro ultimo, Ptolemæus quarto geographicorum, & Stephanus ex Artemidoro in dictione φενακῶ meminerunt. Quinetiam Plinius libro V, capite X habet Athribin Ægypti oppidum, memoratum quoque Ptolemæo vnà cum fluuio Athribitico Deltam irrigante. Strabo item scribit Athribitas colere pro deo murem araneum, & ciuitatem eorum Athribin appellari: etiamsi ἐν ᾧ ἀθρίβης πόλις, Græca Basiliensis editio non habeat, cui Latina ex altera parte respondens non conuenit. Ab hoc oppido puto vocari chartam Athribiticam, quemadmodum & præfecturam, fluuiúmque, qui Deltam perreptans originem â Nilo accipit. Sanè si legamus â præfecturæ loco dictam esse Amphitheatricam, & sensus verborum constabit, & maior erit Plinianæ orationis maiestas, nec dubitari iure poterit, quia aut Athribitica, aut alterius præfecturæ nomenclatio substitui debeat. Plinius libro indicato, capite IX: Ægyptus, inquit, diuiditur in præfecturas oppidorum, quas nomos uocant. Eorum nomorum refert Diodorus libro II rerum antiquarum, capite I Sesostrim præstantissimum, ac potentissimum Ægypti regem sex & triginta constituisse. Sed interpres æquiuocatione deceptus, leges pro præfecturis transtulit, cùm tamen apud Græcos, nomos pro præfectura accentum in posteriore syllaba habeat: pro lege verò in priore. Nomos Herodotus, & satrapias pro eodem posuit, Darij regnum in uiginti satrapias diuidens, totidémque nomos, id est regiones:

vnde

vnde nomarchæ earum regionum præfecti, quos Turcæ hodie Bassas appellant, nihilo satrapiarum numero Darij regno inferiores. Verùm enimuero si cui receptam in Plinio lectionem, utpote ter repetitam, tueri libeat, cogitet Amphitheatricam dici non potuisse ab Amphitheatro Romano, quod nunc Colissæum vocant, tum ob rationem, quam dixi, tum quia illud Plinio naturalem historiam condente, publicantéq; nondum in naturam venerat, non tacituro profectò tam ad mirabilis ædificij substructionem planè insanam, qui tam diligentem M Scauri, C Curionis, & Magni Pompeij theatrorum mentionem prodere censuerit. Vbi commonendus est mihi lector, molem, quam Pompeius gradibus mansuris perpetuam primus ædificauit, ob quamq; publicè accusatus, ac reprehensus fuit, vocari quidē theatrum â Plutarcho in eius uita, itémq; â Dione libro XXXIX historiarum, atque â Tertulliano in libro de spectaculis, nec non ab Ammiano Marcellino libro XVI, ab alijsque multis, â Plinio autem libro XXXVI, capite XV amphitheatrum: vt in dubium venire possit, theatrúm ne an amphiteatrum fuerit, quod Pompeius spectaculorum gratia dedicauit. Amphitheatrum enim tanquam duplex theatrum erat, ê duobus theatris iunctis, quorum forma hemicyclum reddebat, confectum, velut ex Plinio eodem loco, quem proximè nominaui colligitur. Theatra, inquit, duo fecit M Scaurus amplissima ê ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis vt contrà starent, postremo iam die descendentibus tabulis, & cornibus inter se coëuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis autoratum populum Roma-

num circumferens. Calphurnius,

Et geminis medium se molibus alligat ouum.

Nam duobus theatris ouum alligari, & rotundari amphithea rum dicit. Quare aut mendum occupasse Plinianum codicem dicemus, aut amphitheatrum non semper rotundam, ouatámue figuram obtinuisse, qualem præfert, quod hodie spectatur Romæ, Veronæ, Polæ, Nemausi, alibi. Cui coniecturæ meæ videtur suffragium porrigere Dion, qui libro XLIII Romanæ historiæ amphitheatrum ex hoc dici perhibet, quòd per ambitum sedilia disponātur absque scena. *Θέατρόν τι, φησὶ, κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρέθη*: id est, ædificauit Iulius Cæsar theatrum venatorium, quod, quia vndiquaque habet sedilia absque scena, amphitheatrum cognominatum est. Suidas quoque amphiteatrum non â figuræ imagine dici putat, sed quòd vndiquaque circumspici possit. Cæterùm Cæsarem amphitheatri molem in campo Martio posuisse, testatur Tacitus in gestis Neronis, quam Tranquillus imperfectam postea ab Augusto Mausoleum ædificaturo destructam dicit. Idem in Octauio testatur Statilium Taurum aliud ędificasse, quod ipsum quoque in campo Martio fuisse, atque Cæsare adhuc quartum consulatum gerente eundem Statilium suis sumptibus absoluisse, prodidit Dion libro LI. Tertium cœpit Vespasianus urbe media, vt destinasse compererat Augustum, quod & Titus absoluit: etiamsi Martialis eius laudem Domitiano assentando tribuit, nunc Colissæi nomine notissimum. Versus Martialis sunt hi:

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis,
Assirius iactet nec Babylona labor.
Omnis Cæsareo cædat labor amphitheatro
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

De

De hoc amphitheatro intellexit Tertullianus loco ſupra demonſtrato ijs verbis: Quid ergo de horrido loco perorem, quem nec periuria ſuſtinent? Pluribus enim & aſperioribus nominibus Amphitheatrum conſecratur, quàm Capitolium omnium dæmonum templum. Tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines capit. Plenum admiratione quod Tranquillus in Tiberio annotauit, apud Fidenas ſupra viginti hominum millia gladiatorio munere amphitheatri ruina perijſſe. Sed de amphitheatro in tranſcurſu plus ſatis. Chartam Amphitheatricam reſpondere ex noſtris arbitror, quam plerique omnes communem indigitant: quemadmodum Hieraticam ſiue Auguſtam Liuianámue, quæ fina, & epiſtolaris nuncupatur.

MEMBRVM XIII.

Excepit hanc Romæ Fannij ſagax officina, tenuatamque curioſa interpolatione principalem fecit è plebeia, & nomen ei dedit. Quæ non eſſet ita recurata, in ſuo manſit Amphitheatrica.

Commentarius Guilandini.

QVà rudis & impolitus adamas, ſmaragdus, opalus, carbunculus, gemmæ aliæ, â ſcalptis & perpolitis differunt, quáque mulier animalium faſtoſiſſimum ſurgens è ſtrato diſſidet â ſe ipſa poſtquàm crines fluentes compoſuit, vultum lauit, & molli ac ſplendido amictu induta eſt: eà charta Fanniana ab Amphitheatrica

theatrica descrepat, cæteroquin numeralem ab ea differentiam faciens. Nam Fannius poliendo Romæ chartam Amphitheatricam, cùm ex proletaria, deterioréque augustiorem atque elegantiorem conformasset, uisus est nouam speciem constituisse, Fannianam de suo nomine appellans, relicta in suo Amphitheatrica non interpoli, quæque mangonium sui artificij experta non erat. Cæterùm Fannium hunc puto esse eundem cum Q Rhemnio Fannio Palæmone celebri grammatico, quem Tranquillus in libello de illustribus grammaticis scribit officinas promercalium chartarum, vestiúmque exercuisse. Ita nanque locum illum legendum arbitror, non quemadmodum Volaterranus libri XIIX vrbanorum commentariorum principio, carnium vestiúmque. Plinius libro XIV, capite IV, necnon & Quintilianus libro I institutionum oratoriarum, capite IV, ita Fannij meminerunt, vt eum eodem cum ipsis tempore floruisse appareat. Vt non possim non mirari attestationem recentioris cuiusdam, quâ, quis fuerit Rhemnius Fannius Palæmon, & quibus vixerit temporibus, neminem nouisse hodie, improuidè, ne dicam imperitè nimis asserit. An non idem Tranquillus Veicetinum fuisse ait? mulieris quidem uernam, sed manumissum, docuisse Romæ, ac principem locum inter grammaticos tenuisse: quanquam infamem omnibus vitijs, palámque & Tiberio, & mox Claudio dicentibus, nemini minus institutionem puerorum, uel iuuenum committendam. Arrogantia fuit tanta, vt M Varronem porcum appellaret: secum & natas, & morituras litteras iactaret. Nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed præsagiente Virgilio fore quandoque omnium poëtarum, ac poëmatum Palæmonem iudicem. Gloriabatur etiam latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse. Luxuriæ ita

riæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaretur, nec sufficeret sumptibus: tametsi ex schola quadragena annua caperet, ac non multò minus ex re familiari, cuius diligentissimus erat. Sed maximè flagrabat libidinibus, ideóque dicto non infaceto notatum ferunt cuiusdam, qui cùm in turba osculũ sibi ingerentem quanquam refugiens deuitare non posset, Vis tu, inquit, magister quoties festinantem aliquem vides abligurire? Exstat adhuc de multis ingenij sui monimentis fragmentum quoddam imperfecti carminis de ponderibus, & mensuris, quod aliquandiu sine titulo prostitit inter Prisciani scripta, vnde eiusdem Prisciani opus esse multi putauerunt. Tribuitur etiam ei de summa grammaticæ libellus excusus olim Basileę apud Adam Petri cum aliquot aliis antiquis grammaticis. Multum ab hoc dissidet Fannius ille, cuius scripta citantur apud Plutarchum in vita Gracchorum: multum etiam cuius meminit Horatius in Sermonibus poëtam ineptum nominans: nec non multum qui deprehensus in coniuratione aduersus Augustum sibi mortem consciuit, de quo Martialis libro II,

Hostem cùm fugeret se Fannius ipse peremit.
Hic rogo, num furor est, ne moriare, mori?

Fannij quoque duo inter oratores Ciceroni numerantur in Bruto, quorum C Fannius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de socijs, & nomine Latino, contra Gracchum reliquit, sanè bonam, & nobilem. Alter autem C Fannius M. F. C. Lælij gener, & moribus, & ipso dicendi genere durior. Macrobius libro III Saturnaliorum, capite XVII citat Gellium historiographum Romanæ historiæ, ut scribit Valerius, qui dicat Fanniam legem, qua sumptus conuiuiorum taxabuntur assibus centum, quemadmodum

lege

lege Orchia numerus tantummodo cœnantium cohibebatur, latam esse anno post Romam conditam LXXXVIII. De hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia sanctissimi Augusti ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum. Neque enim Prætores, aut Tribuni, ut plerasque alias, sed ex omnium bonorum consilio, & sententia ipsi consules pertulere: cùm respublica ex luxuria conuiuiorum maiora, quàm credi potest, detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, ut gula illecti plerique ingenij pueri pudicitiam, & libertatem suam uenditarent: plerique ex plebe Romana uino madidi in comitium uenirent, & ebrij de reipublicæ salute consulerent. Hactenus Sammonicus. Et meminit Gellius libro II, capite XXIV, errasse memorans quosdam commentariorum in Lucilium poëtam uetustissimum, quique primus Latinorum Satyram condidit, scriptores, quòd exponentes illa uerba,

Fannij centussisque misellos:

putauerunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris statutos, cùm non nisi ludis Romanis, item ludis plebeis, & Saturnalibus, & alijs quibusdam diebus ea summa impendi concederetur. Plinius quoque libro X, capite L mentionem facit legis Fanniæ ijs uerbis: Gallinas saginare Deliaci cæpere: unde pestis exorta, optimas aues, & suopte corpore unctas deuorandi. Hoc primùm antiquis cœnarum interdictis exceptum inuenio iam lege C Fannij Cons XI annis ante tertium Punicum bellum, ne quid uolucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulauit. Sunt ex eruditis, qui credant Fannium Palæmonem denotari apud Plinium libro XXIV, capitis XVII calce, quibus ego non accedo.

accedo. Verba Plinij ſunt iſta: Plantis magicis adiecit anacampſerotem celeber arte grammatica paullò antè, cuius omnino tactu redirent amores vel cum odio depoſiti. In quibus neque mendum ineſſe, neque Palæmonem ijs demonſtrari, ſed magis Appionem grammaticæ artis ſcientiſſimum arbitror quem, vt idem Plinius ſcriptum reliquit in præfatione ad Veſpaſianum, Tiberius Cæſar cymbalum mundi vocare ſolebat, cùm publicæ famæ tympanum potius videri potuiſſet, & quem ſe adoleſcente vidiſſe teſtatur libro XXX, capite II, & prodidiſſe eum cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur oſirites, diuinam, & contra omnia veneficia, ſed ſi ea erueretur, ſtatim eum, qui eruiſſet, mori. Addit euocaſſe eum umbras ad percontandum Homerum, qua patria, quibúſque parentibus genitus eſſet, non tamen auſum profiteri, quid ſibi reſpondiſſe diceret. Ego cynocephaliam, quæ in Ægypto oſirites diceretur, eandem eſſe ſtirpem cum ea, quam Ioſephus Baharas appellat, in ſuperioribus annotaui. Ælianus vocat cynoſpaſtum terreſtrem, Democritus aglaophotim, & marmaritim, Homerus moly, Prophetæ ſelenogonon, Galenus pœoniam, Arabes denique, Perſæ, Æthiopes Bahár accentu in vltima. Non omittam Appionem iſtum ita cognominatum eſſe Pleiſtonicen, quemadmodum Theſſalus Iatronicen ſe dici volebat, hic quidem â deuictis medicis, ille ab aliorum plurimorum victoria. Appion, inqui Plinius libro ultimo, capite V, cognominatus Pleiſtonices, paullò antè ſcriptum reliquit, eſſe etiam nunc in labyrintho Ægypti coloſſeum Serapim ê ſmaragdo nouem cubitorum. Qui locus ei prorſus ſimilis eſt, quem proximè â nonnullis pro deprauato haberi dixi. Idem auctor libro XXXV, capite X narrat Appionem grammaticum litteris commendaſſe, Apel-

lem imagines adeo ſimilitudinis indiſcretæ pinxiſſe, vt quidam ex facie hominum addiuinans (quos metopoſcopos vocant) ex ijs dixerit aut futuræ mortis annos, aut præteritæ.

MEMBRVM XIIII.

Poſt hanc Saitica, ab oppido, ubi maxima fertilitas, ex vilioribus ramentis. Propiorque etiamnum cortici Tæniotica, à uicino loco, pondere iam hæc, non bonitate venalis. Nam Emporetica inutilis ſcribendo, inuolucris chartarum ſegeſtriumque in mercibus uſum præbet, & ideo à mercatoribus cognominata.

Correctio Guilandini.

Poſt hanc Saitica, ab oppido, vbi maxima fertilitas, ex vilioribus ramentis. Propiórque etiamnum cortici Tanitica, â uicino loco &c.

Commentarius Guilandini.

PRoximum ab amphitheatrica locum vendicat ſibi charta Saitica, ab oppido Sai, de quo nos in quinto huius operis commentario pluſcula. Fiebat ex vilioribus ramentis, quæ quid hoc loco ſignificent, decimus commentarius aperit. Nonius annotat ramen-

tum

tum dici quaſi proiectitium quoddam purgamentum, qui, ſi tenuem cuiuſque rei particulam definiuiſſet, â radendo dictam, certiora vtique docuiſſet. Saiticam ſequitur Tanitica, â ciuitate Tani, quam vocari hodie Damiatam, eodem commentario fuſius attigi. Neq; conſentio Hermolao alioquin doctiſſimo, oculatiſſimóque, qui non Tanitica, ſed Tæniotica legendum putat, â loco, qui, vt auctor eſt Athenæus libri primi calce, propter anguſtam longitudinem Tænia uocabatur. Nam cùm Plinius prius dixerit papyrum in Ægypto non gigni extra Deltam, locus verò, cui Tæniæ nomen eſt, habeatur non in Delta, ſed extra Deltam: ſitque aut circa lacum Mariam (vnde Marioticum quoque vinum Straboni celebratum, & vitis Mariotis alba Virgilio, pudendo alioqui grammaticorum errore, qui apud poëtam vitem in Epiro natam accipiunt) aut inter Alexandriam, & Canopum, aut certè ſit ipſemet iſthmus, qui Pharum Alexandriæ coniungit, fieri non poteſt vt quis rectè Tæniotica ex Iſidoro reponat, quē Hermolaus ſuppreſſo nomine ſequitur. Tænia, inquit Athenæus, eſt ſpatium oblongum circa ipſos Mariæ locos, â quo vini genus Tænioticum, quod Mariotico eſt præſtantius. Quibus verbis infertur claritas Straboni libro VII, vbi ait Achillis dromum ſiue curſum, eſſe tæniam quandam terrenam ad mille ſtadia in mare porrectam, latitudine eius nuſquam duo excedente ſtadia. Quin ſcribit etiam Philo libro II de vita Moyſis, ante vrbem Alexandriam ſitam eſſe Pharum inſulam, quæ per longam, & tæniæ ſimilem ceruicem adeatur. Et Strabo libro vltimo anguſtum quendam terræ tractum inter Pharum, & Canopum, hinc mari, illinc foſſa ambîtum, appellat ταινίαν: quamuis impreſſi quidam codices perperam τεχνίαν habeant. Quare Euſtathius in ijs, quæ ad Dioniſium de ſitu orbis elu-

cubrauit, tæniam ſcitè interpretatus eſt faſciam. Gades, inquit, inſula eſt prope oceanum, protenſa ſecundum veteres velut ταινία, quaſique ſegmentum telæ ſeu panni anguſtum, ὅπερ ἡμᾶς φασκίαν φαμὲν, quod nos faſciam dicimus. Et alibi: οἷόν τις ταινία, ἤτοι φασκία, id eſt ceu tænia quædam, ſiue faſcia. Pompeius Feſtus annotat tænias Græcam vocem ſic interpretari Verrium, vt dicat ornamentum eſſe laneum capitis honorati. Ennius in Alexandro: Volans de cœlo cum corona, & tænijs. Accius in Neoptolemo: Decorare eſt ſatius, quàm vrbem tænijs. Cæcilius in Androgyno: Dum tæniam, quâ vulnus vincitet, petit. Virgilius in VII Æneidos: Fit longæ tænia vittæ. In quibus Virgilij, & Cæcilij verbis tænia nô niſi faſciam ſignificat, hoc eſt vinculum longum, anguſtúmque, obducendis, illigandíſque rebus aptum. Qua in ſignificatione Galenus etiam, & Hippocrates in libro de fracturis vſus eſt ſæpius: nec non & Plinius in hoc ipſo de papyro tractatu, cùm ait: Deprehenditur & lentigo oculis, ſed inſerta medijs glutinamentis, tænia fungo papyri bibula. Vbi tænia denotat ramentum, ſiue philuram, bracteámue, quæ â papyri ſcapo auulſa & Nili aqua madefacta, præſtat materiam chartæ propriè nuncupatæ, quam ex duplicatis tænijs, membranísue confici dixi, iterúmque dicam. Tæniæ etiam Ariſtoteli ſunt piſces quidam oblongi, â Theodoro vittæ appellati, quos naſci præſtantiſſimos circa Canopum Alexandriæ, & apud Seleuciam Antiochiæ auctor eſt Athenæus libro VII, capite XXXVII. Cæterùm omnium deterrima eſt Emporetica, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων, id eſt â mercatoribus cognominata, tum quia ſcripturæ inepta erat, tum quia conficiebatur ex ſcheda, quæ extremo ſcapi cortici proximè adiacebat. Etenim, vti decimi membri commentario annotaui,

quó quæque plagularum, siue philurarum longius â cortice ad thyrsi interiora recedit, eò est melior præstantiórque pro chartarum confecturæ materia: quóq; cortici appropinquat magis, eò deterior ac vilior: vnde postmodum varia chartarum genera conficiuntur, pro tunicarum papyri nobilitate, ignobilitatéue. Quô respiciens auctor, scribit post Amphitheatricam succedere Saiticam, quòd sit ex vilioribus ramentis, hoc est schedis, laminísue confecta: post Saiticam verò venire Taniticam, vtpote ex pagellis cortici etiamnum propioribus constantem: demum postremas tenere Emporeticam, vel emporeuticam, quæ, quòd scripturæ inepta est, mercibus inuolucra præbet. Sunt enim segestria, docente Varrone libro IIII de lingua Latina, ferè stramenta ê segete, quæ lecticam inuoluebant: adeóq; inuolucra quæuis mercium, quibus inuoluuntur, & segeruntur, Græcis ἐνειλήματα dicta, vocari segestria possunt. Chartam Emporeticam appellauerim, quam vulgus Italicum carta de straccio indigitat: quemadmodum Saiticam, & Taniticam deteriora quædam chartæ communis genera: quæque in hac eximiè excellit Fannianam.

MEMBRVM XV.

Post hanc papyrum est, extremúmque eius scirpo simile, ac ne ad funes quidem nisi in humore utile.

Commentarius Guilandini.

CVm supra de varijs papyri significationibus agerem, docui uenire aliquando eo nomine summum

mum ſtirpis papyri corticem, quique ſuo ambitu alias omnes thyrſi bracteas claudit atque inuoluit. In qua ſignificatione accipiens hoc loco auctor, ait poſt tæniam, de qua charta emporetica concinnabatur, ê veſtigio ſuccedere totius ſcapi corticem, cuius exterior ſuperficies ob eximium quem obtinet læuorem, magnam habet cum mariſco ſimilitudinem. Etenim ſchedæ ſiue philuræ, vt dixi, ita â thyrſo duas in partes æquales ſecundum longitudinem diuiſo auellebantur, quemadmodum ſi quis collocato ad rectum ſitum cepæ bulbo, eodémque bipartito diſciſſo, mox occipiat cartilagineas quibus totus conſtat tunicas ſingulatim abripere, ſumpto principio ab intimis, & centro bulbi proximis, quoad deſinat in diſtantiſſimum, & omnium extremum corticem. Eius corticis ſuperficiem exteriorem Plinius vocat hic extremum, non aliter quàm Cicero primo de diuinatione, quod finitum eſt, id habere extremum, quódque non habet extremum, id infinitum eſſe dicit. Idem de vniuerſitate: Mundus, inquit, globoſus eſt fabricatus quod σφαιροειδὲς Græci uocant: cuius omnis extremitas paribus â medio radijs attingitur: idque ita tornauit, vt nihil effici poſſit rotundius. Cæterùm quanta ſit ſcirpi, hoc eſt, vt ego interpretor, mariſci læuitas ac complanatio, facilè intelliget, quiſquis animum aduertet ad priſcorum loquendi morem, quo nodum in ſcirpo quærere dicebant, qui ubi minimè opus erat ſcrupuloſiores videbantur, & in re facili difficultatem indagabant. Hierõnymus ad Pammachium contra Iõhannẽm: Qui inimicus eſt, etiam in ſcirpo nodum quærit. Etſi verò recentiores ſcirpum paſſim pro iunco interpretantur, tamen veterum optimi quique ſcirpum â iunco apertè diſcreuerunt. Varro libro I de re ruſtica, capite XXII: Quæ naſci in fundo, ac fieri â domeſticis poterunt, eo-

rum

rum ne quid ematur, iſta ferè ſunt, quæ ex uiminibus, & materia ruſtica fiunt, ut corbes, fiſcinæ, tribula, mallei, & raſtelli. Sic quæ fiunt ê cannabe, lino, iunco, palma, ſcirpo, ut funes, reſtes, tegetes. Quæ poſtrema Varronis verba integrè adducit Nonius Marcellus ubi de tegetibus diſſerit, niſi quòd mẽdosè apud eum, de cannabino iunco legitur, errore iam olim â Petro Victorio, uiro undiquaque doctiſſimo, & de litteris optimè merito in explicationibus ſuarum in antiquos de agricultura ſcriptores caſtigationum deprehenſo, ac diligenter annotato. Columella libro VII, capite IX: Nanque & id feciſſe maximè per æſtatem profuit, & dulces eruiſſe radiculas aquatilis ſyluæ, tanquam ſcirpi, iunciq́ue, & degeneris arundinis, quam vulgus cannam vocat. Sidonius Apollinaris libro I epiſtolarum, ad Heronium: Vluoſum Lambrum, cæruleum Aduam, uelocem Atheſim, pigrum Mincium, qui Liguſticis, Euganeíſque montibus oriebantur, paullum per oſtia aduerſa ſubuectus in ſuis etiam gurgitibus inſpexi. Quorum ripæ, thoríque paſſim quernis, acerníſque nemoribus ueſtiebantur: hîc auium reſonans dulce concentus, quibus nunc in concauis arundinibus, nunc quoque in iuncis pungentibus, nunc in ſcirpis enodibus, nidorum ſtrues impoſita nutabat. Quæ cuncta virgulta tumultuatim ſuper amnicos margines ſoli bibuli ſucco fota fruticauerant. Ex quibus auctorum uerbis nemo eſt qui non intelligit diſcrimen eſſe inter ſcirpum, & iuncum propriè dictum. Siquidem uerò Feſtus ſcirpum eſſe ait id, quod in paluſtribus locis naſcitur læue, & procerum, vnde tegetes fiunt: atque Plinius libro XXI, capite XVIII ex omnibus iuncorum generibus unum mariſcum (quem etiam â Græcis holoſchœnum dici puto, ètiamſi ille aliter ſentire uidetur) non parùm commendat ad uitilia, & ad texendas te-

das te-

das tegetes, facilè mihi persuadeo, quem uetustissimi scirpum nominauere, posterius mariscum dici cœpisse. Sed ne ego quoque nodum in scirpo quærere dicar, hîc de scirpo finem dicendi faciam, mox atque locum apud Isidorum libro XVII etymologiarum, capite IX suæ integritati restituero. Iuncus, inquit, dicitur eò quòd iunctis radicibus hæreat. Scirpus, â quo segetes teguntur, sine nodo. Vbi extrema uerba paullò aliter legere oportet. Scirpus, ê quo tegetes texuntur, sine nodo.

MEMBRVM XVI.

Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor uim glutini præbet, cùm primò supina tabula scheda adlinitur, longitudine papyri, quæ potuit esse segminibus utrinque amputatis. Transuersa postea crates peragitur. Premitur deinde prælis, & siccantur sole plagulæ; atque inter se iunguntur, proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Nunquam plures scapo quam uicenę.

Correctio Guilandini.

Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor uicem glutinis præbet. Cùm primò supîna

na tabulâ ſchéda adlinitur (longitudine papyri, quæ potuit eſſe ſegminibus vtrinque amputatis) tranſuêrſa poſtea cute peragitur. Premuntur deinde prelis,& ſiccantur ſutæ plagulæ, atque &c.

Commentarius Guilandini.

HActenus de inuentione papyri, membranarúmque,& rebus,in quas ſcribebatur antequàm chartarum uſus innotuiſſet, ac plantæ ipſius delineatione, natalibúſque, & chartarum item generibus, atque differentijs. Nunc auctor nouo quodammodo facto principio, memor quòd dixerat ex diuiſo papyri ſcapo in prætenues, ſed quàm longiſſimas philuras præparari chartas, ad rationem confecturæ earum aggreditur. Quanquam autem id adeo obſcurè præſtat, ut hoc ipſum in quo nunc uerſor membrum, maximis, atque clariſſimis viris aberrandi anſam dederit: tamen quiſquis memoria tenebit, quæ in decimo huius tractationis commentario diligenter obſeruanda eſſe admonui, facilè occurſantes ſcrupos eximet, quibus alij pares eſſe non potuerunt. Quod itaque ibi prolixius attigi, hîc paucis repetendum eſſe duxi, ne quæ ad plenam propoſitorum uerborum intelligentiam conducere uidentur, lector, minus decenter ſuo â me omiſſa loco iure merito conqueri queat. Quicunque priſcæ mortalium ætatis chartam conſpexerunt, cuius multæ etiamnum in diuerſis Italiæ, Græciæ, Ægypti, atque Arabiæ ſanctuarijs reliquiæ ſuperſunt, facilè potuerunt animaduertere, eam non eſſe vniformem ab utroque latere, ut eſt,qua nunc vtimur, charta, ſed cuius ſtudioſè conſideranti exhibere geminas bracteas, quæ ita conglutinatæ ſunt, ut earum ductus ſeu fibræ angulos rectos,

alicubi binos, plurimúm uerò quaternos inuicem constituant: ſicuti etiam telæ quæcunq; duabus quibuſdam cõſtant laminis, quæ ê filis coordinatis conſtitutæ eſſe cogitari poſſunt, vt bracteæ papyri ê ſuis etiã illis fibris quaſi coagmentatæ ſunt. Verùm in hoc antiquorum charta â telis differt, quòd telarum fibræ, id eſt fila, inuicem ad angulos rectos intertextæ ſunt, bractearum autem papyracearum ſine intertextura quidem, at eodem modo ad angulos rectos inuicem applicatæ & vnitæ ſunt. Eæ bracteæ necdum artificio duplicatæ, ſed ſimplices, & quales â thyrſo papyri auulſę fuerunt, appellantur â Plinio duodecim nominibus, quæ quia momentum omne ducunt in argumento nobis propoſito, ea iterum atque iterum inculcaſſe putaui operæ fore pretium. Sunt autem hæc eodem prorſus ordine repetita, quo antè â me propoſita fuerunt: philura, ramentum, papyrum, tabula, ſcheda, cutis, plagula, corium, ſtatumen, ſubtegmen, pagina, tænia. Quibus uocabulis omnibus non niſi ſingulares (ut dixi) inconditæ atque incompoſitæ ſcapi papyri bractez ſiue membranæ tenuiſſimæ ſignificantur, aliàs tunicæ etiam â Latinis nuncupatæ. Statius Papinius libri Syluarum quarti calce,

Non replictæ
Bulborum tunicæ, nec oua tantùm.

Plinius libro XII, capite XIX: Probatur caſia breui tunicarum fiſtula, & non fragili. Idem libro XI, capite XXXVII: Tenuibus multiſque membranis oculos natura compoſuit, calloſis contra frigora, caloréſque in extremo tunicis. Quod cùm ignorauerit Adrianus Turnebus, lux utriuſque linguæ fulgentiſſima, ac vnicum omnis politioris doctrinæ ornamentum, mirum non eſt corrupiſſe eum libro VII aduerſariorum, capite II vnà cùm Ruellio libro de natura

ſtirpium I, capite CIX genuinam Plinij orationem, atque tabulam hoc loco expoſuiſſe pro aſſere ligneo: quando, inquit, in tabula chartæ ponebãtur, in qua turbida Nili aqua glutinabantur. Sed errant uehementer qui ita exiſtimant, ſiquidẽ tabulæ madentes, non erant aſſeres madidi, quorum nuſquam auctor meminit: uerùm erant philuræ ſiue pagellæ â caule papyri diſtractæ, ex quibus alteris recto ſitu ſubſtratis, & alteris tranſuerſa poſitione ſuperiniectis, chartæ conficiebantur: uel, ut Plinius ait, texebantur, præbente glutinis uicem Nili aqua, non illa clara & limpida, ſed turbido liquore, ac pingui terrarum ſucco coinquinata. Cæterùm ſchedæ, quæ primò ſupîna tabulâ, id eſt recto philuræ ſitu ſubſternebantur, ea longitudine, quam thyrſus papyri, præſectis hinc inde extremitatibus, præferebat, quemadmodum in præcedentibus dixi, citò mox alteris pagellis in tranſuerſum ſuperinductis, perfectionem ſuam conſequebantur, â qua demum accipiebant, ut chartæ uocarentur, eſſentque. Etenim vbi codices impreſſi magno conſenſu habent tranſuerſa poſtea crates peragitur, ego inſpecta diligenter chartarum ſtructura ante annos mille concinnatarum, deprehendi legendum eſſe tranſuerſa poſtea cute peragitur. Neque videri debet nouum philuram papyri appellari â Plinio cutem, quando eandem quoque corium nuncupaſſe legitur in hoc ipſo de papyro tractatu ijs verbis; Igitur & ſecundo corio ſtatumina facta ſunt ê primo ſubtegmine. Ad hæc uſurpat idem auctor non rarò cutem pro cortice membranaceo & tenuiſſimo, præſertímque libro XIII, capite IIII de dactylis, qui ſunt palmarum fructus, diſſerens. In totum, inquit, arentes Thebaides, atque Arabicæ, macro corpore, exiles, & aſſiduo vapore torrentes, cruſtam uerius, quàm cutem abducunt. Et libro XII, capite XIX:

Caſia tenui cute uerius, quàm cortice ueſtitur. Quòd uerò dictionem ſupîna interpretatus ſum recto, nemo iure culpandum eſſe putabit, ſi modò aciem acrem in priſcorum chartæ cõfecturam intenderit, atque in memoriam reuocauerit, dixiſſe Liuium manus ſupinas ad cœlum tendere, pro manibus in ſublime erectis orare. Libro VI de bello Punico: Vndique matronæ in publicum effuſæ circa deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras uerrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cœlum, ac deos tendẽtes. Rurſus autem quòd pro uim glutini præbẽt, repoſuerim uicem glutinis prębet, extra culpam fore cõfido, quando aqua neq; eſt glutem, neq; dici poteſt: ſed quòd ſubire ualeat uicem glutinis, reddita præſertim turbidior ex pinguioris admixtione glebæ, ecquis ibit inficias? Accedit formulam loquendi iſtam, neque nouam eſſe, neque â Pliniana dicendi grauitate alienam, in cuius illa monumentis non rarò occurrit. Libro XVI, capite XXXVI: Calami Indici haſtarum uicem prębent additis cuſpidibus. Et libro XXIII capitis quarti calce: Nuclei palmarum cremati in fictili nouo, cinere loto, ſpodij vicem efficiunt, miſcenturque collyrijs. Item capite VII eiuſdem libri: Spodij vicem exhibet fruticum â radice exeuntium cinis. Quemadmodum autem nucleorum palmarum, & aliorum fruticum cinis, non eſt ſpodium, ſed tantùm ſpodij vicem ſubit: ita turbidus Nili liquor, non eſt gluten, ſed ſolùm uicem glutinis præſtat ad ferruminandas ſuperiores, inferioréſque chartarum paginas. A qua chartarum ex duabus paginulis conſtructione Plinius libro II, capite VII eleganter admodum dixit fortunam in tota ratione mortalium, ſolam vtranque paginam facere: propterea quòd qui antiquitus chartam concinnarent, paginas papyri fortuitò oblatas, nullo delectu tum ſuperiores, tum inferiores faciebant,

ciebant, aut aliter quàm fortuna, quos uult, extollit, &, quos vult, deprimit, bonos euertit, eligit improbos, & quos in altum euexit, mox præcipites lapsu grauiore ruere facit, atque in summa nec discrimen habet, nec recta iudicat, cæca, temeraria, inconsiderata, amens. Porrò autem sutæ, hoc est textæ siue compositæ ad eum quem dixi modum pagellæ, statim supponebantur prelis, & ualide comprimebantur, ut redundans aquæ humiditas emanaret atque deflueret, quod auctor siccare appellat, demúmque in umbra arefiebant. Nam ut credam chartam sub sole siccari consuesse, adduci non possum, quando omnia quæ aqua cõglutinauit, si solaribus radijs exponantur, non tam coire arctius, & cohærere inter se tenacius solent, quàm contrà religari, dissilire, ac planè dissolui, sole humidum aqueũ, quod pro glutine additum erat, exhauriente, atque in vaporem conuertente: vnde quæ paullò ante firmiter inter se cohærebant, mox in partes diuelli & replumbari contingit. Scio quidem legi in Plinio, asarum in sole siccari, & ichneumonem mersum limo sæpius, se siccare sole: tamen est quoque apud eundem, nardum Gallicũ in umbra siccari, & ficum Ægyptiã stagnis aquisue. Cæsa, inquit libro XIII, cap. VII, statim stagnis mergitur: hoc est eius siccari. Et primò sidit, postea fluitare incipit: certóq; siccat eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. Quem locum alioqui deprauatum in editionibus vulgatis, nos primùm ita restituimus, nec aliter legendum esse censemus. Non dissimiliter de epityro, quod conditura Græcæ genus erat, scribit Columella libro XII, capite XLVII: Oliua pausea, vel orchita cùm primùm ex albo decoloratur, fitque luteola, sereno cœlo manu distringitur, & in vannis vno die sub vmbra expanditur: &, si qui adhærent pediculi, foliáque, aut surculi, leguntur. Postero die cribratur,

tur, & nouo fiſco incluſa prelo ſupponitur, vehementérque premitur, vt exſudet quantuluncunque habet amurcæ. Patimur autem nonnunquam tota nocte, & poſtero die pondere preſſam baccam velut exſaniari. Summa ſummarum ego verbum ſiccantur, accipio pro exſaniãtur, quãdo ſcilicet res exſudato humore aridiores redduntur: & pro Sole, ſubijcio ſutæ, ꝑſuaſus Pliniũ dictionem texuntur, de induſtria cõuertiſſe in ſuuntur, quibus vocibus duabus nihil aliud ſignificatur quàm cõficiuntur cõſeruntúrue. Virgilius IIII Georgicorũ.

Ipſa autem ſeu corticibus tibi ſuta cauatis,
Seu lento fuerint aluearia uimine texta,
Anguſtos habeant aditus.

Cicero II de natura deorum: Cultus dico agrorum exſtructiones tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel ſuta, omnémque fabricam æris, & ferri. Plinius libro XXIIII, capite IX de geniſta agens: Dubito an hæc ſit quam Græci auctores ſparton appellauere, cùm ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerim: & nunquid hanc deſignauerit Homerus, cùm dixit nauium ſparta diſſoluta. Nondum enim fuiſſe Africanum, vel Hiſpanum ſpartum in uſu certum eſt. Et cùm ſutiles fierent naues, lino tamen non ſparto vnquam ſutas. Statius eodem quem ſupra indicaui loco:

Vſque adeó ne defuerunt
Cæſis pilea ſuta de lacernis?

Quid ſi legamus, ſiccantur udæ plagulæ? Vdum enim ſignificare idem quod humidum, nemo niſi Matthæolus ignorare poteſt, qui udum interpretatur velum. Cæterùm de plagulis, quid ſignificent auctori, dixi. Non probo autem illorum ſententiam, qui plagellas, vel etiam pagellas legendum contendunt. Nam plagulæ, auctore Nonio, diminutiuum eſt â plagis, quæ erant grande linteum tegmen, quod torale, & lecti-

cariam

cariam sindonem dicimus. Tranquillus in Tito, capite X: Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum. Vlpianus pandectarum libro XXXIIII, titulo II, capite XXIIII: Muliebria sunt, quæ matrisfamilias caussa comparata sunt, quibus vir non facilè vti potest sine vituperatione: ueluti stolæ, pallia, tunicæ, zonæ, mitræ (quæ magis capitis tegendi, quàm ornãdi caussa sunt comparata) plagulæ, penulæ. Varro libro VIII de lingua Latina: Si quis tunicam in vsu ita consuit, vt altera plagula sit angustis clauis, altera latis, vtraque pars in suo genere caret analogia. Liuius libro IX de bello Macedonico: Luxuriæ enim peregrinæ origo, ab exercitu Asiatico inuecta in urbem est. Ij primùm lectos æratos, uestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos, Romam aduexerunt. Ab hac plagarum siue linteorum similitudine, quæ lectis, lecticisque olim inijciebantur, Plinius plagulas vocauit illas membranas, ex quibus â scapo papyri diuulsis chartæ præparari solebant. Qui plura de plagis, plagulisque nosse velit, exquirat grammaticos, & lexicographos, multiplicem earum vocum significationem diligenter attexentes. Demum verò quæ de plagularum inter se iunctione, numero vicenario, & bonitatis earundem diminutione ad deterrimas ab auctore narrantur, nulli obscuriora, aut parùm aperta videri poterunt, modò non obliuioni tradiderit, quæ in decimi expositionẽ membri conieci, vnde ijs omnibus lux infertur clarissima. Illud tacitus haud prætermittam, segmina hic vocari, quæ libro XXVIII, capitis VII calce resegmina appellantur, quidquid scilicet vt superfluum â rebus amputatur. Ex homine, inquit, omnium digitorum

resegmina

resegmina vnguium, ad cauernas formicarum abijci iubent, eámque quæ prima cœperit trahere, correptam subnecti collo, ita discuti morbum. Plautus in Aulularia actus secundi principio præsegmina pro eodem dixit.

Quin ipse pridem tonsor vngues dempserat,
Collegit, omnia abstulit præsegmina.

Fabius Pictor, referente Gellio libro X, capite XV, segmina non aliter quàm Plinius extulit: Vnguium Dialis, & capilli segmina, subter arborem siliquam terra operiuntur. Quare efficitur indifferenter posse in Plinio legi segmina, resegmina, præsegmina, sensu semper manente eodem. A segminibus dicta esse suspicor sagmina, vna tantùm mutata littera, quæ, vt Festus annotat, erant uerbenæ, id est herbæ puræ, quia ex loco sancto secabantur â Consule, Prætoréue legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellúmque indicendum. Martianus libro pandectarum I, titulo, & capite VIII: Sanctum dictum est â sagminibus. Sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ uocantur cerycia. Hactenus Iurisconsultus. De uerbena scribit Seruius ad illum Maronis uersum Æneidos ultimo.

Velati limo, & verbena tempora vincti:

Propriè esse herbam sacram, sumptam de loco sacro Capitolij, qua coronabantur fetiales, & pater patratus fœdera facturi uel bella indicturi. Ex quibus omnibus apparet sagmina, & uerbenas idem significare: quod etiam testatum facit Plinius libro XXII, capite II ijs verbis: Auctores imperij Romani, conditorésque immensum quiddam & hinc sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remedijs publicis fuere, & in sacris, legationibúsque uerbenæ. Certè vtroque nomine

idem ſignificatur, hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum: ac ſemper & legati cùm ad hoſtes, clarigatumque mitterentur, id eſt res raptas clarè repetitum, vnus utique uerbenarius uocabatur. Idem libro XXV, capite IX: Nulla Romanæ nobilitatis plus habet, quàm hierobotane. Aliqui periſtereon, noſtri uerbenacam uocant. Hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus. Hac Iouis mẽſa uerritur, domus purgantur, luſtranturque. Qui locus euidenter admodum eos redarguit, qui differre arbitrantur uerbenam, & uerbenacam: quãdoquidẽ his uocibus duabus unam tãtùm, eandémque ſtirpis ſpeciem indicari, præterquàm quòd Plinij teſtimonio oſtendi, etiam Marcelli medici fide confirmare valeo. In libro nanque de medicamentis, capite XXVI in hæc verba ſcribit: Eodem modo data hierobotane prodeſt, quam nos verbenacam dicimus. Et capite X: Si & per nares, & per os ſanguis fluat, herba verbena, quam Græci hierobotanen dicunt, cum ſuis radicibus ex aqua decocta, & percolata potatur. Proinde corrigendus erit locus in eodem cuius poſtremò memini capite, ubi legitur verbenam Græcè dici polygonon, quam polygonon Latini non verbenam, verbenacámue appellant, ſed proſerpinacam, ſi Apuleio credimus: quanquam ijdem ſanguinariam quoque, & ſanguinalem, vt Celſus habet, cognominant. Cæterùm Iſidorus libro XVII etymologiarum, capite IX annotat hierobotanen, quæ ſit verbena, â pontificibus uocari ſagmen. De ſagminibus mentionem habet Liuius primo ab Vrbe: Iubéſne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente rege: ſagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait: puram tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit: ita poſtea regem interrogauit. Rex, facíſne me tu regium nunçium, populique Romani quiri-

tium, uasa, comitesque meos? Rex respondit: quod sine fraude mea, populique Romani quiritium fiat, facio. Et libro X ad finem secundi belli Punici: Vt priuos lapides silices, priuásque verbenas secum ferrent: uti Prætor Romanus his imperaret: ut fœdus ferirent: sibi illi Prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumptum, dari fetialibus solet. Næuius apud Festum Pompeium: Ius sacratum Iouis iurandum sagmine. Ibidem: Struppos, atque uerbenas sagmina sumpserunt. Vbi in impressis codicibus pro struppos habetur scabos uel scapos, ne quis impudentiæ imputet, quod ego scienter immutaui. Struppi enim vocabantur, eodem Festo auctore, in puluinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponebantur. Animaduertere etiam oportet Næuium, Liuiumque appellasse verbenas, non sanè herbam, quæ sic priuatim scriptoribus dicitur, sed quarumcunque sacrarum arborum ramos, uirgásque. Nam verbenæ, auctore Seruio eodem loco, quem paullò antè indicaui, abusiuè vocantur omnes frondes sacræ, vt est laurus, oliua, uel myrtus: vt apud Terentium in Andria: Ex ara hinc sume verbenas tibi. Myrtum enim fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Donatus etiam verbenas ait esse omnes herbas, & frondes festas ad aras coronandas, ex aliquo loco puro decerptas: dictásq; autumat esse quasi herbenas. In eadē significatione accipitur â poëta in Pharmaceutria:

Verbenasque adole pingues, & mascula thura.

Siquidem rami oleæ, myrti, lauri, aliarum plurium, suam ob pinguitudinem facilè succenduntur, atque flammam concipiunt. Tranquillus quoque in miraculis Vespasiani, nomine verbenarum non nisi puras, sacrasque frondes intellexisse uidetur. Hic, inquit, cùm de firmitate imperij capturus augurium, ædem Serapi

dis, ſummotis omnibus, ſolus intraſſet, ac propitiato
multùm deo, tandem ſe conuertiſſet, uerbenas, coro-
náſque, & panificia, vt illic aſſolet, Baſilides libertus
obtuliſſe ei viſus eſt: quem neque admiſſum â quo-
quam, & iampridem propter neruorum valetudinem
vix ingredi, longéque abeſſe conſtabat. Dioſcorides
narrat ſi aqua ſpargatur triclinium, qua immaduerit
hierobotane, lætiores conuiuas fieri. Quem locum
expreſſum â Plutarcho ſub initium problematum ſym
poſiacorum, ſed tranſcribentium incuria fœdè lacera-
tum, ſic ex Dioſcoride ſarciendum eſſe moneo: οἱ μὲν
οὖν τὰ βούγλωσσα καταμιγνῦντες εἰς τὸν οἶνον, καὶ τοῖς ἀπο-
βρέγμασι τῶν περιστερεώνων, καὶ ἀδιάντων τὰ ἐδάφη ῥαίνον-
τες, & quæ ſequuntur, quanquam Euſtathius ad ſex-
tam Odyſſeæ rhapſodiam citat Pauſaniam, qui ἀριστερε-
ῶνα dicat eſſe plantam expiationibus vtilem, quam
interpretari pro periſtereone nihil prohibet, cùm Dio-
ſcorides hierobotanen ad amuleta, expiationesque
adhiberi ſolenne fuiſſe memoret. Quin illud miran-
dum magis, Matthæolum non prius dictam Dioſcori
di hierobotanen agnouiſſe, quàm palàm vapulaſſet in
viridario medicorum Patauino, munere Guilandini
docendi publico ex Senatus Veneti conſulto, errore
iſto etiamnum effulgente in commentariorum ſuorum
expurgatione poſtrema, in qua hierobotanes icon, per
peram verbenaca inſcribitur. Nec minus â veritate
aberrat Pierius Valerianus, qui libro LVIII hiero-
glyphicorum, verbenacæ ſpeciem ſtatuit ſtirpem illam
notiſſimam, nuncupatam vulgò ſclaream, ſcarleam, gal
litricum, matriſaluiam, centrum galli, & oruallam:
creditam â nonnullis horminum ſatiuum Dioſcoridis,
ab alijs alectorolophon Plinij. Sed ſagminibus in tran
ſcurſu ad hunc modum declaratis, hic membro iſti co-
lophonem ſtatuo.

Magna in latitudine earum differentia. Tredecim digitorum optimis. Duo detrahuntur Hieraticæ. Fanniana denos habet. Et uno minus Amphitheatrica. Pauciores Saitica, nec malleo sufficit. Nam Emporeticæ breuitas sex digitos non excedit. Præterea spectatur in chartis tenuitas, densitas, candor, læuor.

Commentarius Guilandini.

POstquàm auctor absoluit quæ ad modum conficiendi chartas attinere videbantur, nunc notas, & differentias persequitur, quibus meliores à deterioribus, & singulæ inter se distinguebantur. In chartis enim non solùm commendabantur tenuitas, densitas, candor, læuor, quæ omnia in nostra quoque papyro laudantur, sed permagni intererat, si latitudinem adeptæ erant præ alijs ampliorem. Ea traditur fuisse tredecim digitorum laudatissimis, hoc est, vt ego interpretor, Claudiæ, quam auctor omnibus prælatam esse testatur: Hieraticæ, id est Augustæ, Liuiæue vndecim: Fannianæ decem: Amphitheatricæ nouem: Saitica, quòd inter scriptorias esset angustissima, mallei, quo tundebatur, diametrum non adæquabat. Vnde colligimus fuisse etiam apud veteres in more positum chartas malleo excutere, & rugatas extendere ictibus, complanaréque. Apparet id testimonio Vlpiani Iurisconsulti

libro pandectarum XXXII, siue de legatis, & fidei-commissis III, capite L, libros malleatos, & non malleatos annumerantis. Vnde, inquit, non malè quæritur: si libri legati sint, an non contineantur necdum perscripti? & non puto contineri: non magis, quàm vestis appellatione nondum detextam. Sed perscripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur. Verùm Plinius quoque agens inferius de glutino, quo chartæ deteriores iterum texebantur, in hæc verba infit. Postea malleo tenuatur, & iterum glutino per curritur: iterumque constricta erugatur atque extendi tur malleo. Denique Emporetica quòd minimam latitudinem obtineret, atque inter omnes arctissima exi steret, sex digitos non superabat. Breuitatis namque nomine hîc significatur angustia atque contractio, opponiturque dictio illa hoc loco non tam longitudini, quàm latitudini. In qua significatione dixit etiam breuissimum Plinius iunior libro epistolarum X, de lacu Nicomedensium ad Traianum perscribens: Tu quidem Domine prouidentissime vereris ne commissus flumini, atque ita mari, lacus effluat. Sed ego in re præsenti inuenisse videor, quemadmodum huic periculo occurrerem. Potest enim lacus fossa vsque ad flumen adduci, nec tamen in flumen emitti, sed relicto quasi margine contineri pariter, & dirimi. Sic consequemur, vt nec vacuo videatur flumini mistus, & sit perinde ac si misceatur. Erit enim facile per illam breuissimam terram, quæ interiacebit, aduecta fossa onera transportare in flumen. Hactenus Plinius. Qui terram breuissimam appellauit, non in comparatione ad longissimam, sed quæ latiore arctior atque angustior appa reat. Pariter noster auctor Emporeticam, quæ latitudine cæteris omnibus inferior erat, rectè breuissimam esse dicere potuit.

Membrum

MEMBRVM XVIII.

Primatum mutauit Claudius Cæſar. Nimia quippe Auguſtæ tenuitas toleran-dis non ſufficiebat calamis. Ad hoc tranſ-mittens literas, lituræ metum afferebat ad-uerſis. Et aliàs indecoro viſu pertranslu-cida. Igitur & ſecundo corio ſtatumina facta ſunt è primo ſubtegmine. Auxit & latitudinem.

Correctio Guilandini.

Primatum mutauit Claudius Cæſar. Nimia quip-pe Auguſtæ tenuitas tolerandis non ſufficiebat cala-mis. Ad hoc tranſmittens litteras, lituræ metum affe-rebat aduerſa. Et aliàs &c.

Commentarius Guilandini.

QVoniam in ſuperioribus dixerat auctor, quòd chartæ duabus ex bracteis concinnari ſolebant, turbida Nili agglutinatis, quarum altera recto ſitu ſub ſternebatur, altera ttanſuerſo inducebatur: nunc oſten dit chartam Claudiam, quam proximo membro opti-mam vocauerat, primò confectam fuiſſe â Claudio Cæ ſare, qui duabus philuris, quibus Auguſta ſiue Hierati ca conſerta erat, tertiam inſuper membranam iniecit, & latitudinem ab vndecim digitis vſque ad tredecim auxit. Ex quibus ſummæ, & infimæ tæniæ nactæ erant

poſitio-

positionem rectam, quæque inter vtrasque schedæ claudebantur, medium sortitæ locum, transuersam. Plagulas nanque in medio rectarum vtrinque paginarum transuerso positu iacentes, auctor vocat secundum corium, quòd scilicet dum Claudia consereretur, secundò imponerentur, quemadmodum ramenta, quæ primô explicabantur subtegmen, & quæ postremò inijciebantur statumen appellat. Ad quæ cùm minus animaduertisset Turnebus eodem loco, cuius in præcedentibus aliquoties memini, germanam auctoris lectionem fœdè admodum corrumpit, quam ad hunc sanari modum posse cõtendit, vbi medicina opus non erat. Igitur ê secundo corio statumina facta sunt, ê primo subtegmina. Quasi verò charta Claudia duabus ex philuris confecta fuerit, quam auctor triplici bractearum structura consutam fuisse demonstrat. Quapropter primum quoque locum iure occupauit Claudia, non solùm quia conserta erat bracteis trilicibus, sed etiam quia cæteras latitudine excedebat, qua nota vnis tantùm macrocollis inferiorem fuisse puto. Etsi verò statumen architecti appellãt infimum pauimẽtorum stratum, quo ante ruderis inductionem solum consternitur, quemadmodum tradit Vitruuius libro VII architecturæ, capite I: tamen â Plinio suprema chartæ Claudiæ pagella, quæ scilicet nouissimè apposita fuit, sic nuncupatur: partim quòd dijudicare difficile erat, & fortasse impossibile, vtra nam folij facies deberet superior, inferiórue censeri, propter rectum vtrinque paginularum ductum: partim quòd quamuis cutis, quæ postremò adliniebatur, alijs duabus superior dici poterat, quia tamen contingebat fieri eandẽ etiam inferiorem, dum vtraque superficies litteris exarabatur, ideo ne vnius dictionis bis mentionem faceret, quod declinare summa Plinio religio est, statumen ap-
pella-

pellauit, quod in eodem versu corium atque subtegmen cognominat. Subtegmen quidem, quòd positum sit quasi sub tegmine aliarum duarum superiacentium membranarum: statumen autem quia tabulas siue tunicas transuerso ordine ductas non aliter fulcit, quàm ridicæ, hoc est pali seu pedamenta uites, uitium iuga, & perticas sustinent: quas ridicas Columella statumina nominare consueuit. Libro IIII agriculturæ, capite XVI: Cùm mensem trigesimum excesserit posita uinea, id est tertio autumno, uehementioribus statuminibus statim impedanda est. Et mox Statuminibus deinde firmiora iuga sunt alliganda, eáq; uel saligneis perticis, uel compluribus quasi fasciculis arundinúm connectuntur. Ideóque Plinius libro XVIII, capitis sexti calce demonstrans ut fossæ exstrui debent, statuminari dixit pro firmari atque subrigi, ora inquiens vtrinque lapidibus statuminari, & alio superintegi. Cæterùm ex ijs, quæ auctor de charta Augusta commemorat, quòd litteras transmitteret, quódque inuersa lituræ metum afferret, non obscurè colligitur in errore uersari eos, qui ueteres una tantùm ex parte scriptitasse contendunt. Iuuenalis satyra I:

Scriptus & à tergo, necdum finitus Orestes.

Martialis libro VIII de Picente:

Scribit in auersa Picens epigrammata charta,
Et dolet, auerso quòd facit illa deo.

Plinius iunior libro III epistolarum, de Plinio auunculo loquens: Hac intentione tot ista uolumina peregit, electorúmque commentarios centumsexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem, & minutissimè scriptos. Vlpianus libro pandectarum XXXVII, titulo XI, capite IIII: Chartæ appellatio & ad nouam chartam refertur, & ad deletitiam. Proinde &

ſi in opiſthographo quis teſtatus ſit, hinc peti poteſt bonorum poſſeſſio. Nam opiſthographum fuiſſe chartam, quæ utraque facie, & diuerſo latere ſcripturæ admouebatur, hoc eſt intus, & â tergo, non minus copiosè quàm doctè oſtendit libro II genialium dierum, capite XXX Alexander Neapolitanus diuini humaniq́ue iuris, & vtriuſque linguæ, ac totius antiquitatis callentiſſimus. Quemadmodum uerò ærarium apud Athenienſes ob id opiſthodomos dicebatur, quòd eſſet poſt ædem Mineruæ: ſic opiſthographa dici cæpiſſe probabile videri poſſit, quòd poſtquàm anterior folij pagina exarata erat, â tergo quoque, atque ſic utrinque inſcriberetur. Cicero nuncupare uidetur aduerſaria, quòd ſcripta ſint non ſolum in ſuperficie auerſa, ſed etiam in aduerſa. Voco ſuperficiem auerſam, quæ librum euoluenti â dextris in ſiniſtras proijcitur, quemadmodum quæ à ſiniſtris in dextras, aduerſam: quanquam non ſum oblitus epigrammatarium in relato â me diſticho per chartam auerſam intellexiſſe paginam chartæ poſteriorem ſeu dorſum. Sed poëta dictionem auerſus in primaria ibi ſignificatione accipit, nulla dextri, uel ſiniſtri conſideratione habita, pro eo qui partem poſteriorem, & tergum oſtendit. Plinius libro XI, capite XXXVII: Canities homini tantùm, & equis: ſed homini ſemper â priore parte capitis, tum deinde ab auerſa. Nam uelut pala in annulo cùm ad palmam conuoluitur, Ciceroni conuerti dicitur: & cùm in lucem euoluitur, inuerti: ſic idem chartæ folium, ſi ad ſiniſtram contorſerimus, aduertere dicemur: ſin ad dextram, auertere. Libro III officiorum de Gyge â Platone inducto loquens: Ibi cùm palam eius annuli ad palmam conuerterat, â nullo uidebatur, ipſe autem omnia uidebat: idem rurſus videbatur, cùm in lucem annulum inuerterat. Colu-

mella libro I, capite V: Cauendum erit, ut â tergo potius, quàm præ se flumen habeat, & ut ædificij frons auersa sit ab infestis eius regionis uentis, & amicissimis aduersa. Quibus uerbis Columella anteriorem ædium partem, quâ ingressus patet, uocauit aduersam: posteriorem, in quam progrediendo itur, auersam. At Plinius aduersam chartæ faciem appellat, ad quam scribendo calamus properat, & quæ, nisi ad nos aduersa fuerit, exarari litteris nequeat. Adrianus Turnebus, qui censet legendum ex auersis, non tam emendasse Plinium, quàm deprauasse uideri potest. Nam si pro aduersis legamus aduersa, ut mihi quidem uidetur, atque exponamus chartam Augustam conuersam seu inuersam consueuisse lituræ metum scribentibus incutere, constituemus sensum maximè perspicuum atque illustrem. Etenim qui charta bibula, & transmittente litteras utuntur, cùm â tergo scribere occipiunt, palàm obscurant, superinducunt, delent, atque cancellant, quod prius in anteriore facie exarauerant. Id enim Plinius lituræ metum afferre dicit, pro quo Sidonius Apollinaris liturare usurpat libro IX epistolarum ad Faustinum Papam: Tunc uel certius te probasse reliqua gaudebo, si liturasse aliqua cognouero.

MEMBRVM XIX.

Pedalis erat mensura, & cubitalis macrocolis. Sed ratio deprehendit uitium, unius schedæ reuulsione plures infestante paginas. Ob hoc prælata omnibus Clau-

dia. Auguſtæ in epiſtolis authoritas relicta. Liuiana ſuam tenuit, cui nihil è prima erat, ſed omnia è ſecunda.

Correctio Guilandini.

Pedalis erat menſura, & cubitalis macrocollis. Sed ratio deprehendit uitium, unius ſchedæ reuulſione plures infeſtante paginas. Ob hoc prælata omnibus Claudia. Auguſtæ in epiſtolis auctoritas relicta. Fanniana ſuam tenuit &c.

Commentarius Guilandini.

OMnium chartarum, quas Plinius tribus hiſce de papyro capitibus nominatim perſequitur, octauum, & ultimum genus eſt Macrocollum, â maioribus corijs ſeu bracteis cognominatum. Nam κόλλα, auctore Heſychio, ſignificat dorſi bouis corium, ex quo glutinum excoquitur: μακρὰ autem idem interpretatur μεγάλα, â recepta apud veteres conſuetudine, qua condemnati μακρὰν γραμμὴν trahere dicebantur, quemadmodum qui abſoluti fuiſſent μικράν. Quanquam autem Macrocolla magnitudine reliquas chartarum ſpecies longè excellerent, quippe quæ menſuram ſexdecim digitorum, nec rarò quatuor ſupra uiginti attingebant: tamen quòd uolentes unam ex eis membranam reſcindere, non ſine aliarum iniuria tæniarum, & plurium dilaceratione plagularum moliri id poſſent, inter illaudatas habebatur. Ob hoc prælata omnibus Claudia, tum quia non ſuberat iſti vitio, tum quia cæteris tantò erat præſtantior, quantò

maiore constabat latitudine, tum etiam quia litteris excipiendis tutissimam esse ob triplicem bractearum consertionem experientia comprobauerat: conspicuo alioquin lapsu Nicolai Perotti pontificis Sypontini, Claudiam cum macrocollo eandem statuentis. Nam si Claudia, quam Claudius Cæsar primò excogitasse scribitur, eadem sit cum macrocollo, quomodo potuit meminisse macrocolli Cicero? quem Eusebius in Chronicis tradit è uita migrasse annos circiter octuaginta priusquàm Claudius regnare cæpisset, Ad Atticum libro XVI: Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris lòcis inculcatum, & refectum. Hunc tu tralatum in macrocollum, lege in arcano conuiuis tuis. Et libro XIII earundem epistolarum: Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impensam facimus in macrocolla, facilè patior teneri. Accedit ad gratiam, quòd Catullum, qui in humanis esse desijt, antequàm Claudius nasceretur, per chartam regiam, non aliam quàm macrocollum intellexisse, eruditi uno ore omnes perhibent, neque Perottus it inficias. Ad Varum:

Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata: chartæ regiæ: noui libri &c.

Quî ergo Perottus, atque alij non pauci clarissimi viri regiam, & macrocollum pro Claudia interpretantur? Nisi quòd interdum ea culpa summis in ingenijs deprehenditur, ut ambitione instincti omnia magis consectari, quàm verisimilimum quodque amplexari cupiant, quasi diligentiores se, doctiorésque, quàm consideratiores existimari maluerint. Certè Macrocollum neque est Claudia, neque altera ex altera fiebat: sed Claudia concinnabatur ex Augusta, quæ eadem

dem erat cum Liuia, quæ & Hieratica dicitur, cui auctoritas in epiſtolis relicta: unde etiam epiſtolaris appellatur â Martiale libro ultimo, quemadmodũ libro nono ſalutatrix quoque ab eodem dicitur, quòd ſcilicet epiſtolæ adſcriptam in limine ſalutem haberent.

Marcus amat noſtras Antonius Attice muſas,
Charta ſalutatrix ſi modò uera refert.

Tertium â Claudia locum tenebat Fanniana, quæ conſerta erat, non quidem ex Auguſta, cui auctor ſuperius primas adſcripſit, ſed ex Amphitheatrica, cui ſecundas. Proximum, inquit, Amphitheatricæ datum fuerat, â confecturæ loco. Excepit hanc Romæ Fannij ſagax officina, tenuatamque curioſa interpolatione principalem fecit ê plebeia, & nomen ei dedit. Quæ non eſſet ita recurata, in ſuo manſit Amphitheatrica. Nam cùm Liuia eadem ſit cum Auguſta, fieri non poteſt, ut hîc rectè Liuiana legatur. Qua ratione adductus, audacter Fannianam nouandum putaui, cui ſuo deinde ſuccedebant ordine, Amphitheatrica, Saitica, Tæniotica, Emporetica. Adeo ut octo ad ſummam chartarum genera efficiantur, videlicet Claudia, Auguſta, quæ & Liuia, Hieraticaque appellatur, Fanniana, Amphitheatrica, Saitica, Tæniotica, Emporetica, & Macrocollum. De quibus omnibus quandoquidem auctor multa uniuersè, & ſigillatim loquutus fuit, nũc tranſitum ad uitia earum facit.

MEMBRVM XX.

Scabritia leuigatur dente, concha'ue, ſed caducæ literæ fiunt. Minus ſorbet politura

politura charta, magis ſplendet. Rebellat ſæpe humor incurioſe datus, primoq; malleo deprehenditur, aut etiam odore cùm fuerit indiligentior. Deprehenditur & lentigo oculis, ſed inſerta mediis glutinamentis tænia, fungo papyri bibula, uix niſi litera fundente ſe: tãtum ineſt fraudis. Alius igitur iterum texendis labor.

Correctio Guilandini.

Scabritia læuigatur dente, concháue, ſed caducæ litteræ fiunt. Minus ſorbet politúra charta, magis ſplendet. Rebellat ſæpe humor incurioſè datus, primoque malleo deprehenditur, aut etiam odore cùm fuerit indiligentior. Deprehenditur & lentigo oculis, ſed inſerta medijs glutinamentis, tænia fungo papyri bibula, uix niſi litúra fundens ſe: tantum &c.

Commentarius Guilandini.

QVod ſubinde noſtra in papyro ſtomacho atque indignatione proſequimur, cùm hærentem rugis, & inæqualitatibus manum minus celeriter ducere ualemus, aut propter ſummum læuorem calamo quandoque decidimus: id ueteres ſuis quoque chartis non raró uitio uertiſſe credibile eſt, ſicubi aut in ſcabriores incidiſſent, aut quæ nimia complanantium diligentia glabriores effectæ forent. Quemadmodum enim ſcabrities ſiue aſperitas ſolet calamum feſtinantem re-

tardare:

tardare: ſic læuitas,& politura impedit quô minus citò charta ſorbeat, & litteras alioqui inſtabiles, nec permanſuras, uel, ut Cicero loquitur, fugaces, ac fugientes deformat atque figurat. Quanquam autem charta ob polituram ſplēdidior euadit, quia tamen litteras ſcgniter combibit, eaſdémque infidas retinet, præſtat rudem ac impolitam aſſumere. Neque unicum, & ſingulare quoddam chartarum uitium erat, quòd ſcabriores, glabriorésue paſſim uenirent, ſed multò grauiori culpæ obnoxiæ habebantur illæ, quæ hauſto liberalius Nili humore, negligenter ſiccatæ fuerant. Non ſolùm enim percuſſæ malleo lacerabantur, ſed etiam ſi quid inter ſcribendum inducere & cancellare opus erat, fœdabantur, quòd humorem ſcriptorium ſorbere potis non erant, ob incluſam etiamnum humiditatem inter utranque unius folij paginam. Quod quidem uitium tripliciter deprehendi auctor commonefacit, malleo, odore, oculis: quandoquidem ſi quis folium chartæ ad Solis lumen obuertiſſet, non erat difficile latitantes inter philurarum compactiones ſeu coniunctiones maculas conſpicere, cæteroqui cognitu obſcuriores, tum ob fungoſam, bibulámq; papyri bracteam, quæ humorem laxitatibus ſuis occultabat, tum quia præſentiam ſuam non fatebantur, niſi ob lituram delendi expungendíque propoſito inductam. Tunc nanque contingebat, ut humor humori affuſus, cùm hauriri uniuerſus atque exſorberi â tænijs non poſſet, quaquauerſum dilaberetur, ſuperficiem fœdè polluens atque inquinans, unde ſuus ſcripturæ decor, gratiáque peribant. Etenim tæniam ſignificare hîc philuram ſiue membranam â ſcapo papyri auulſam, cùm ſuprà aliquoties, tum præcipuè in membri decimiquarti commentario indicaui, ubi etiam de tænijs pluſcula. Cæterùm quod hîc tænia dicitur, ab eodem

libro

libro XVI, capite XXXVI appellatur cartilago, quódque ibi uocat naturam fungoſiorem, hîc ſimpliciter fungum cognominat. Noſtratibus, inquit, calamis fungoſior ſubeſt natura, cartilagine bibula, quæ cauo corpori intus, supernè tenui inhæreſcit ligno. Sic nanque locum hunc reſtituendum arbitror, quem publicatæ hucuſq; editiones paullò aliter exprimunt. Verùm non hinc ſolùm elucet quid per fungum papyri intelligere oporteat, ſed ex Dioſcoride etiam, & Alexandro manifeſtum fit ſcapum papyri, â quo philuræ abripiuntur, multis ubique inanitatibus inſtar fungorũ hiare. Quorum auctorum locos ſiquidem ſuprà in ſeptimi expoſitione membri moroſius fortaſſe excuſſiſſe uideri poſſum, non eſt quod hîc cantilenam eandem repetam, ne in me ſatyrographi illud,

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

MEMBRVM XXI.

Glutinum uulgare è pollinis flore temperatur feruente aqua, minimo aceti aſperſu. Nam fabrile, gummiſq; fragilia ſunt. Diligentior cura, molli panis fermentati colata aqua feruente. Minimum hoc modo intergerij, atque etiam Nili lenitas ſuperatur. Omne autem glutinum, nec uetuſtius eſſe debet uno die, nec recentius.

Corre-

Correctio Guilandini.

Glutinum uulgare &c. Minimum hoc modo intergeritur, atque etiam Nili læuitas superatur. Omne &c.

Commentarius Guilandini.

DIxerat auctor superiore proximo membro chartam, quæ â consertoribus in Ægypto negligenter exsiccata fuerat, consueuisse nouo apud exteras gentes labore retexi, iterumque texi, quæ quia destituebantur Nili aqua, accipiebant pro glutino tenuissimum farinæ tritici pollinem, feruente aqua, minima aceti aspersione perfusum, temperatumq;. Siquidem enim gluten fabrile, & gummi cùm refrixerint, in rigorem, & ad fragilitatem usque durescunt, neque chartas tutò, & sine fracturæ suspicione complicare ac conuoluere sinunt, inepta planè atque inutilia existimari debent, quæ philuris consuendis adhibeantur. Veruntamen qui curam glutini parando diligentiorem impendebant, simplici aqua utebantur, quam feruentem antè percolabant per molliora panis fermentati fragmenta frustáue. Nam membranæ aqua hac de nouo consertæ, arctissimè copulabantur iungebantúrque, nullo diuersi generis corpore, quod flexum earum retardare posset, actu inter eas aut remanente, aut sese illis intergerente. Quemadmodum enim intergerini Pompeio Festo dicuntur parietes, qui inter confines struuntur, & quasi intergeruntur: sic Plinius verbum intergeritur hîc usurpat pro interseritur siue intersternitur, pro omni scilicet eo, quod pro ferrumine ad con glutinandam utranque chartæ paginam assumebatur.

Quod equidem glutinis corpus tantò præstantius esse par erat, quantò plus ab asperitate ad læuorem declinabat, qui læuor in aquis Nili ob copiosissimam, quam secum trahunt, totius Æthiopiæ pinguitudinem, qua vniuersam Ægyptum ad miraculum usque fecundant, valde insignis, & planè summus esse animaduertitur. Cæterùm intergerini sunt parietes, qui inter distantissimos in medio pro fultura intergeruntur, trabibus disponendis, sustinendisq; accommodati. Plinius libro XXXV, capite XIIII de lateritio muro loquēs: Romæ non sunt talia ædificia, quia sesquipedalis paries non plus quàm vnam contignationem tollerat, cautumque est ne communis crassior fiat, nec intergerinorum ratio patitur. Idem libro XI, capite X: Ruentes ceras fulciunt pilarum intergerinis â solo fornicatis, ne desit aditus ad sarciendum.

MEMBRVM XXII.

Postea malleo tenuatur, & iterum glutino percurritur, iterumque constricta erugatur atque extenditur malleo. Ita sunt longinqua monumenta Tiberij, Caijque Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum uatem, ciuemque clarissimum uidi annos ferè post ducentos. Iam uerò Ciceronis, ac diui Augusti, Virgilijque sæpenumero uidemus.

Commen-

Commentarius Guilandini.

CVM decimoſeptimo membro illuſtrãdo operam nauarem, dixi antiquam fuiſſe conſuetudinem chartas malleo complanare, quam curam temporum eorum homines adhibuiſſe non ſemel tantùm textis, ſed retextis etiam, iterúmque textis, euidenter admodum apparet ex ijs quæ auctor hoc loco commemorat. Quinimmo chartæ, quæ diligentiore cura de nouo conſerebantur, ſolebant bis glutino attrectari, totidémque uicibus malleo tundi, quod ad diuturnitatis perpetuitatem non parùm conferre, experimentum oſtenderat, durantibus ita chartis, quas Gracchi perſcripſerant â ducentis circiter annis, quas uidiſſe ſe apud Pomponium Secundum profitetur. Vnde non obſcurè colligitur Quintilianum eodem cum Plinio tempore uixiſſe, quando libro X inſtitutionum oratoriarum, capite I uiſum ſibi eſſe Pomponium aſſerit. Eorum, inquit, quos uiderim (puta uiuentes) longè princeps Pomponius Secundus, quem ſenes parùm tragicum putabant, eruditione, ac nitore præſtare confitebantur. Vbi Volaterranus, & Crinitus uiri doctiſſimi ex uetuſtis quibuſdam exemplaribus Pindarum tragicum legunt, pro eo quod eſt, parùm tragicum: ſed eos miratur Gyraldus, pridem eam eſſe exploſam lectionem aſſerens. Certè Plinius non dubitauit uatem clariſſimum appellare, qui & uirtuti illius tantùm detulit, ut dignum iudicauerit de cuius uita duos libros conderet, quos memoriæ amici, quaſi debitum munus exſoluiſſe eum tradit iunior Plinius libro epiſtolarum tertio, & meminit ipſemet Plinius ſenior libro XIV naturalis hiſtoriæ, capitis quarti calce. Idem libro VII, capite XIX annotat Pomponium hunc conſularem poëtam nunquam ructaſſe. Tacitus de eodem:

Decretus Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ eius apud posteros, in quêis carminum gloria præcellet. Citatur aliquoties â Charisio uetusto grammatico, magno eorum errore qui comicum ex tragico effecerunt, Lucium Pomponium Bononiensem Atellanarum scriptorem, â Q. Pomponio Secundo distinguere nescientium.

MEMBRVM XXIII.

Ingentia quidem exempla contra Varronis sententiam de chartis reperiuntur. Nanque Casſius Hemina uetustisſimus author annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn Terentium scribam agrum suũ in Ianiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit situs fuisset. In eadem libros eius repertos P Cornelio L F Cethego, M Bibio Q F Pamphilo Coss. ad quos à regno Numæ colliguntur anni DXXXV: & hos fuisse è charta: maiore etiãnum miraculo, quòd tot infosſi durauerunt annis.

Correctio Guilandini.

Ingentia quidem &c. Nanque Casſius Hemina uetusſimus auctor annalium &c.

Commen-

Commentarius Guilandini.

ABſolutis omnibus quæ ad chartarum differentias, genera, confecturam, uſum, bonitatem, & uitioſitatem attinere uidebantur, reuertitur auctor ad earum inuentionem, refellens Varronis ſentẽtiam, quem ſupra membro ſecundo tradidiſſe dixerat chartam non ante Alexandri Magni victoriam repertam eſſe. Etſi uerò ego cùm eius membri interpretationi uacarem, non leuibus coniecturis iſtam Varronis aſſertionem contuderim: tamen, quia Plinij aduerſus eandem argumenta ſuo me producturum loco repromiſi, tempus eſt, ut qualia illa ſint, iam ex ipſo cognoſcamus. Sanè Caſſius Hemina non tam uetuſtate plurimorum annorum ſuſpiciendus, qui necdum ſeptuaginta annis Plinium ſuperat, quàm ueritate hiſtoriæ, & rerum fortaſſe cognitione commendandus prodidit Cn Terentium ſcribam uineam ſuam trans Tiberim in Ianículo refodientem detexiſſe fortuitò arcam, qua Numæ Pompilij ſecundi Romanorum regis cadauer unà cum libris in chartam exaratis conditum fuerat. Siquidem uerò Numa trecentis non minus annis Alexandri natalem præuertit, palàm reuincitur falſum eſſe chartarum uſum non ante uictoriam huius innotuiſſe. Res eſt comprimis admirabilis, Varronem illum undequaque doctiſſimum, quem hiſtoria de Numæ monumenti inuentione nequaquam latuit, talia de chartis mandare litteris auſum. Nam & Plinius in ſequente mox membro allegat quintum humanarum antiquitatum librum, in quo Varro ſcripſerat duodecim libros fuiſſe, qui de Numæ ſepulcro eruti fuerunt: & diuus Auguſtinus libro VII de ciuitate Dei, capite XXXIV ipſiſſima uerba Varronis ex libro de cultu deorum producit, quibus hiſtoria iſta utcunque explicatur.

Terentius quidam, inquit, cùm haberet ad Ianiculum fundum, & bubulcus eius iuxta ſepulcrum Numæ Pompilij traijciens aratrum, eruiſſet ex terra libros eius, ubi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſſæ, in urbem pertulit ad prætorem. At ille cùm inſpexiſſet principia, rem tantam detulit ad ſenatum. Vbi cùm primores quaſdam cauſſas legiſſent, cur quidque in ſacris fuerit inſtitutum, Numæ mortuo ſenatus aſſenſus eſt, eosque libros, tanquam religioſi patres conſcripti, prætor ut combureret, cenſuerunt. Hactenus Varro. Ex cuius uerbis facile intelligitur, non ignoraſſe eum, quæ de arca, & libris Numæ circumferebantur: ſed libros eos fuiſſe chartaceos, id ſanè eſt quod neſciuiſſe uidetur. Eandem hiſtoriam repetunt Liuius decadis quartæ libro ultimo, & Valerius Maximus libro primo eiuſdem numeri capite, nec non & Lactantius libro I de falſa religione, capite XXII: niſi quòd Lucium Pœtilium appellant, quem Hemina, Varro, & Plinius Cnæum Terentium fuiſſe dicunt, nec, qualem in materiam libri ſcripti fuerint, explicãt, atque inſuper duas arcas, non unam fuiſſe perhibent. Adhæc Liuius conſules eo anno ſcribit C Bebium Pamphilum, & M Æmilium Lepidum: Hemina pro hoc P Cornelium Cethegum habet, & hos anno poſt Numæ regnum DXXXV. Plutarchus in Numa Pompilio quadringentis ſolùm annis pòſt, P Cornelio, & M Bebio Coss. Idem negat imprudentiam manus ruſticæ proſcindentis terram arcas eruiſſe, ſed magnorum imbriũ eluuiem, qui tumulum perrupere. Cæterùm Caſſium Heminam, quem ſubinde teſtem adducunt Soſipater Chariſius, & Nonius Marcellus, uixiſſe quando Virgilius, & Horatius in humanis erãt, colligitur ex Priſciano, qui teſtatur ſcripſiſſe eum annalium, hiſtoriarumque ad Mœcenatem, & Tiberium

libros.

libros. Qua coniectura fretus, malim apud Plinium pro vetustissimus, legere verissimus auctor annalium. Equidem â supremo Augusti die vsque ad primum annum Titi, quando Plinium incẽdio Vesuuij extinctum constat, nondum septuaginta intercidunt anni. Quî igitur dici potuit vetustissimus auctor, si necdum viginti anni â morte Heminæ (etiamsi fingamus eodem quo Augustum anno occubuisse) ad natalem Plinij diem fluxerunt? Sed hoc arbitrarium esto.

MEMBRVM XXIIII.

Quapropter in re tanta ipsius Heminæ uerba ponam. Mirabantur alii quomodo illi libri durare potuissent. Ille ita rationem reddebat: Lapidem fuisse quadratum circiter in medio arctè uinctum candelis quoquo uersus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse, propterea arbitrarier eos non computruisse. Et libros cedratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ: eosque combustos à Q. Pœtilio prætore, quia philosophiæ scripta essent. Hoc idem tradit C Piso Censorius primo commentariorum libro. Sed libros septem iuris pontificij,

toti

totidemque Pythagoricos fuisse. Tuditanus decimotertio, Numæ decretorum fuisse. Libros duodecim fuisse ipse Varro humanarũ antiquitatum quinto. Antias secundo, duos pontificales Latinos, totidem Græcos præcepta philosophiæ continentes. Idẽ tertio ponit quò cõburi eos placuerit.

Correctio Guilandini.

Quapropter in re tanta ipsius Heminæ verba ponam. Mirabantur alij quomodo illi libri durare potuissent. Ille ita rationem reddebat: Lapidem fuisse quadratum circiter in medio. In eo lapide insuper libros impositos fuisse arctè vinctos candelis quoquouersus: propterea arbitrarier eos non cõputruisse &c.

Commentarius Guilandini.

ETsi nihil vltrà ambiguitatum in his uerbis superest, quàm quas præcedente commentario, cùm discrepantes auctorum sententias currendo referrem, aperui: tamen facturum me operæpretium arbitror, si, cur transposuerim quinque uocabula in oratione Heminæ, indicauero. Quod vt nemo non queat facilè intelligere, adscribam verba Liuij ex ultimo quartæ decadis libro, ubi rem ab Hemina breuiter narratam, ipse paullò fusius hunc in modum explicat. Eodem anno in agro L Pœtilij scribæ sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terrã, duæ lapideæ arcæ octonos

ferme

ferme pedes longæ, quaternos latæ inuentæ ſunt, operculis plumbo deuinctis. Litteris Latinis, Græcisque vtraque arca inſcripta erat, in altera Numam Pompilium, Pomponis filium, regem Romanorum ſepultum eſſe: in altera, libros Numæ Pompilij ineſſe. Eas arcas cùm ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti regis habuerat inanis inuenta, ſine vllo veſtigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus abſumptis. In altera duo faſces candelis inuoluti, ſeptenos habuere libros, non integros modò, ſed recentiſſima ſpecie. Septem Latini de iure pontificio erant: ſeptem Græci de diſciplina ſapiẽtiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Adijcit Antiâs Valerius Pythagoricos fuiſſe, vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuiſſe Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primò ab amicis, qui in re præſenti fuerunt, libri lecti: mox pluribus legentibus cùm vulgarentur, Q. Pœtilius prætor vrbanus ſtudioſus legendi eos libros â L. Pœtilio ſumpſit, & erat familiaris vſus, quòd ſcribam eum quæſtor Q. Pœtilius in decuriam legerat. Lectis rerum ſummis, cùm animaduertiſſet pleraque diſſoluendarum religionum eſſe, L. Pœtilio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe, prius quàm id faceret, ſe ei permittere, uti ſi quod ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur: id integra ſua gratia eum facturum. Scriba tribunos plebis adit, ab tribunis ad ſenatum res eſt reiecta. Prætor ſe iuſiurandum dare paratum eſſe aiebat, libros eos legi ſeruarique non oportere. Senatus cenſuit ſatis habendum, quòd prætor iuſiurandum polliceretur. Libros primo quoque tempore in comitio cremandos eſſe. Pretium pro libris quantum Q. Pœtilio prætori, maiorique parti tribunorum plebis uideretur, domino eſſe ſoluendum. Id ſcriba

non accepit. Libri in comitio igne â victimarijs facto in conſpectu populi cremati ſunt. Hæc hactenus. Ex quibus Liuij uerbis palàm fit, neque lapidem quadratum fuiſſe, ſed loculum fortaſſe in medio lapide ſcalptum (ut Hemina innuit) eam figuram prætuliſſe, neque tam lapidem candelis vinctum, quàm libros candelis inuolutos iacuiſſe. Quod cùm ita fuiſſe videatur, nemo iure audaciam meam culpauerit, quòd quinque verba de ſede non ſua ſublata in ueterem, atque germanum locum traduxi, ac caſum accuſandi ſingularem in multitudinis permutaui. Accedit ad gratiam, quando non lapidem uinciri, ſed libros cedri ſucco obduci, & candelis obuolui præſtabat, ne vel â tineis blattíſue attingerentur, vel ab aëre ambiente læderentur, corrumperenturque. Nam cùm duæ ſint cauſſæ corruptionis, interior, & exterior, quæcunque vnam admittunt eadem & alteram. Quod quia Numa multò antè quàm ê vita migraret cognitione comprehenſum tenebat, curauit libros, qui ſecum humandi infodiendique erant, duplici munimento, cedri ſcilicet ſucco, quod cedriũ eſt, & candelis ex eadem materia confectis circundari. Cedrio quidem, quô commodum & utile corruptioni interius genitæ remedium pararet: candelis autem, quibus exterius aduenienti obuiã iret. Cedrium enim, cùm ob inſignem ſui amaritudinem, tum ob excellentem quam habet ſiccandi facultatem, non ſolùm valet cauſſam corruptricem interiorem ad breue tẽpus compeſcere, verùm etiam rem ſemel ſibi creditã in immenſum tueri ac cõſeruare. Teſtantur id medicata in Ægypto cadauera ante annos prope ter mille, Platoni iam olim in Phœdone celebrata, quæ ad hunc uſque diem non ſine magno inſpicientium ſtupore incorrupta perdurant, uulgus Mumias appellat. Verùm ea funera conſueſſe farciri ſeu medicari cedri ſucco, non obſcurè intelli-

rè intelligitur ex Dioſcoride, & Galeno, qui tradunt cedrium uocari â quibuſdam φύλαγμα τῶν νεκρῶν σωμάτων, ἢ τῶν μορίων τεθνεότων, hoc eſt cuſtodiam mortuorum corporum, ſiue particularum emortuarum. Plinius libro XVI, capite XI quibus modis fiant genera picis ediſſerens: Primus, inquit, ſudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta uis eſt, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſeruentur. Et libro XXIIII, capite V: Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus vtiliſſimam. Frangit enim eos, & extrahit: dolores ſedat. Cedri ſuccus ex ea quomodo fieret, diximus, magni ad lumina vſus, nì capitis dolorem inferret. Defuncta corpora incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit: mira differentia, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Hæc ille. Siquidem enim redundantes atque ſuperfluas rerum humiditates depaſcitur, nec ſolidas, vt Galenus ait, partes attingit, mirabile non eſt certare cum æternitate quæ cedrium hauſere. Naſcitur, inquit Vitruuius libro II architecturæ, capite IX, ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, quo reliquæ res cùm ſunt vnctæ, vt etiam libri, â tineis, & â carie non læduntur. Vnde â veteribus digna cedro lo qui prouerbialiter dicuntur, quorum oratio propter verborum nitorem, ac grauitatem ſententiarum promeretur immortalitatem, ac eiuſmodi iudicatur, vt ad poſteritatem tranſmitti debeat. Numa itaque libros Cedri ſucco illeuit, quô humiditati interius computreſcenti, & in natiuum calorem graſſanti, eundemque ſenſim extinguenti vtile remedium pararet, & chartas â tineis blattisque vindicaret, atque tutas redderet. Cæterum candelis cedrinis ideo obduxit, ne aëri, qui aduentitia, & exterior corruptionis cauſſa cenſetur, facilis ad

lis ad interiora aditus pateret: ſed ipſa quodammodo cãdelarum vndique arctè circũiacentium pinguitudo obſtaculum eſſet, quô minus ſubſtantia chartarum ab ambiente contingeretur, atque eius iniuriæ obnoxia fieret. Quemadmodum enim pinguedo dum liberum ſpiritibus tranſitum præcludit, tam animalia, quàm plã-tas ſtrangulat, ſi fides eſt Theophraſto: ſic eadem pinguedo, ſi circumponatur rebus inanimatis, diuturnitatem earũ adiuuat, nec ſinit putreſcere, propterea quòd aſpellit ab ſe humidũ alienum. Externæ ſiquidem impreſſiones, ne malè officiãt, obex eſt denſitas, qua participare pinguedinẽ teſtatur Ariſtoteles in eo problemate, quo quærit cur nullius animalis lingua eſt pinguis. Ac cùm ob denſitatẽ nihil ſubeat, neq; enim in corpus ſeſe induit corpus: efficitur Numam obuoluiſſe libros cãdelis cedrinis, nõ ob aliam ſanè quàm retuli cauſſam. Quanquam autẽ nihil minus quæſitum â principio horum cõmentariorum videri poteſt, quàm vt plus iuſto ab rerum ordine declinarem, varietatibúſq; diſtinguendo opera, & legentibus velut diuerticula amœna, & requiem animo meo quærerem: tamen tantæ ſtirpis ac arboris mentio, quibus ſæpe tacitis cogitationibus volutauit animum inde vſque quo ab Iudæa diſceſſi, eas euocat in medium, vt quærere libeat, nunquid cedrus ſit, quam peregre proficiſcentes ad glorioſum ſeruatoris domini noſtri Ieſu Chriſti ſepulcrum ſecum ex Syria in Europam afferunt. Etenim non deſunt clara alioquin fama viri, in quêis Matthæolus ceu anteſignanus quidam, & errorum omnium fecundiſſimum copiæ cornu effulget, qui in ea ſunt hæreſi, vt firmiter perſuaſum habeant, cedrum magnam Dioſcoridi memoratam, nihil diſcrepare ab ea, cuius hodie Maronitæ gens Chriſtiana in Libano monte vigintiſeptem plantas peregrinis noſtris magna reuerentia exhibent, ſuccisa ante pau-

te paucos annos vna arbore in gratiam amplissimi, nec vnquam satis laudati senatus Veneti, ex qua ille confici curauit valuas, quibus augusta sacri Decemuirûm collegij curia clauditur. Sed in quanta ij tenebrarum caligine uersentur, tũc denique apertum cõspicuúmq; omnibus erit, cùm & Serapionis auctoritatem, quæ Dioscoridis est, & Vitruuij testimonium crassæ & caliganti eorum ignorantiæ opposuero. Cedri, inquit Serapio capite CCCLXIX de simplicium medicamentorum facultatibus, duæ sunt species. Vna est arbor magna, & ex ista est alkitran: habet fructum similem fructui cupressi, nisi quòd est minor eo multùm. Et secunda est arbor parua, spinosa, habens similitudinem cum arbore iuniperi, & magnitudo fructus eius est sicut granum myrti. Quibus verbis non apertè modò comprobatur cedrum Libani non esse quam Dioscorides in litteras retulit, sed deprauatus quoque eiusdem auctoris codex egregiè reparatur, & in pristinam integritatem restituitur. Quid enim? An non corruptissima sunt illa in vestibulo de cedro apud Dioscoridem verba? Quæ ne posthac lectori ansam aberrandi præbeant: néue Dioscoridem amplius in ius vocandi licentiam permittant: quod me annis abhinc quatuordecim confidenter quidem, sed imprudenter fecisse, ideo nunc fateri minus erubesco, quòd locum illum nemo ante id tempus sub censuram iudiciumqne uocauerit: conabor vlcus, quamuis rebelle, & telephium, fidelius, nisi fallor, sanare ex Serapione, quàm præstitit Matthæolus ope uoluminis, cui nullus sapiens facile assurrexerit, ob ancipitem utriusq; fidem. *Κέδρος, φησὶ, δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. καρπὸν μὲν ἔχει ὥσπερ κυπάρισσος, μικρότερον δὲ παρὰ πολὺ. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη κέδρος, μικρὰ, ἀκανθώδης ὥσπερ ἄρκευθος, καρπὸν φέρουσα μέγεθος μύρτου, περιφερῆ:*

Idest,

Id eſt, cedrus arbor eſt magna, ex qua cedria colligitur. Fructum habet ut cupreſſus, multò minorem. Eſt quinetiam alia cedrus, parua, ſpinis horrens ut iuniperus, & fructum rotundum myrti magnitudine ferēs. Sic autem ſarcienda eſſe uerba Dioſcoridis, non Serapio modò fidem facit ampliſſimam, ſed, ipſe quoque Dioſcorides videtur innuere, quando libro quinto docens quo pacto uinum cedrinum conficiatur, palàm cedri maioris, minorisq; fructuum meminit]. Quî igitur duas cedri ſpecies ignoraſſe potuit, cui duo uinorum genera ex differentibus cedri fructibus confecta haud quaquam incomperta fuerūt? Omitto Galenum, quem in nullis non ſtirpibus cenſendis ſequutum eſſe Dioſcoridem notius eſt, quàm ut demonſtrare habeam neceſſe, cedri libro VII de ſimplicium medicamentorum facultatibus duo genera annumerantem, non alio quàm maioris, minoriſque diſcrimine. Ex quo loco illud non ineptè intelligere, & cogitatione comprehendere mihi uideor, verbis Dioſcoridis, quæ modò reſtitui, vnum adhuc inſidere mendum, neque tam ἀκανθώδης cum Serapione, quàm θαμνώδης cum Galeno eſſe legendum. Quapropter cùm cedri maioris fructus æmuletur figura nucem cupreſſi, & quantitate multò minor exiſtat: arbor autem, quam hodie in Libano pro cedro oſtentant, fructum ferat non σφαιροειδῆ, cuiuſmodi eſt pila cupreſsi, ſed κωνοειδῆ, qualem pini eſſe nemo ignorat, & tanta inſuper magnitudine, ut galbulo ſiue pilula cupreſſi ſexcuplo maior appareat, quî non turpiter errare Matthæolum, & alios omnes dicemus, quicunque nobis hanc pro illa obtundere conati fuerunt? Quid tam diſſimile, ut eſt in prouerbio, quàm conus, & galbulus? Quid cani & balneo ſimilitudinis? Huc accedit ingens foliorum inter vtranque ſtirpem diſſimilitudo, quæ ſanè tanta eſt, ut

uel

uel hoc ſolo argumento edocti, malam ſemel arreptam ſententiam, in meliorem commutare debeant quotquot cedrum Libani pro maiore Dioſcoridis publicatis iconibus ſuppoſuerunt. Etenim cedrus, quam in Libano abhinc duodecim annis in quincuncem conſitam uidi, folia habet laricis, ab uno principio multa ſimul prodeuntia, nec temere, ſed ordine quodã circa ſurculos diſpoſita: at cedri magnæ, quam ueteres extulerunt, folia ſimilia ſunt cupreſſeæ foliaturæ, teſte Vitruuio eodem quem ſupra citaui loco, neque in uno tantùm Libano naſcitur, extra quem tamen quales ibi ſunt cedros uſquam gentium offendiſſe me non memini, ſed paſſim in Creta, Africa, & Syria prouenit, niſi eundem Vitruuium mendacij arguere uelimus. Quibus rationibus non modò euidenter illorum inſcitia reprobatur, qui cedrum Libani, eſſe Dioſcoridis maiorem contendunt, ſed mea item vetus opinio infirmior esſe reuincitur, qua cedrum magnam Græcorum, conuenire cum larice Latinorum, auſus ſum confiteri. Quin aio nunc tres esſe arbores ſpecie haud parùm differentes, cedrum, cuius hac tempeſtate, ſaltem vigintiſeptem plantæ in Libano exiſtunt: cedrum magnam, quæ in monumentis antiquorum occurrit: & laricem Latinorum, quam ipſam appellari â Græcis aliquando cedrum abſolutè etiamnum affirmo. Cæterùm cedrus magna vocatur priuatim â Plinio cedrelate: â Vitruuio, Theophraſto, Cteſia, Dione hiſtorico, Plutarcho, Herodoto, alijs multis cedrus abſolutè: â Varrone, Cicerone, Seneca, Martiale, itémque â Plinio citrus: â Strabone trogetes: â Theophraſto thya, thyia, & thyon: â Dionyſio geographo ſimiliter thyon: â Iohanne in apocalypſi thyion: ab Homero denique θύον, errore alioquin manifeſtario Oppij, & Macrobij citriũ malum, quod uri & flammã cõcipere neſcit, eo nomine acci-

accipientium: quanquam licet sulphur etiam, Græcis θεῖον dictum, in poëta intelligere, præsertim cùm Plinius libro XXXV, capite XV utile esse narret ad ellychnia conficienda, & habere locum in religionibus ad expiandas suffitu domos. Sed cùm eodem uersu theium, cedrúsq; unà tradatur, manifestum esse arbitratur idem Plinius libro XIII, capite XVI Homerum de arboribus tantùm loquutum. Θεῖον itaque diuino, & antiquissimo uati nihil aliud denotabit, quàm cedrum magnam: cedrus autem, quæ unà refertur, laricem, si Plinium sequamur: uel, si quod ego arbitror, oxycedrum, hoc est cedrum acutam siue pusillam. Probo enim adhuc, sempérq; probabo ueterem castigationem meam, qua in Plinio pro laricémq; legi oportere laricémue non sine euidente ratione adstruxi. Verùm enimuero ut tandem finem huic de cedro disquisitioni imponam, cùm superioribus annis orientem lustrarem, obseruaui, quod etiam Andreas Alpagus Bellunensis litteris commendauit, uocari Arabicè abhel fructum quendam pilarum cupressi magnitudine, colore ex rufo in nigrum decliui, qui ex arbore sui generis, sed cupresso adeo simili, ut non nisi cupressus syluestris esse videatur, decerpitur. Eam arborem quemadmodum olim thyam esse pronunciaui in defensionibus viginti problematum, aduersus quæ Matthæolus ex centum scripsit, quas Paullus Hessus ab excellenti doctrina, & admirabili morum suauitate laudatissimus pro amico edidit: sic hoc tempore eandem differre â cedro magna tantùm abest vt credam, ut non nisi vnius stirpis nomina esse thyam, trogetem, cedrelaten, abhel, & cedrum magnam firmiter persuasum habeam. In hanc de cedro narrationem eò libentius digredi visum est, vt gratum facerem Iohanni Goropio Beccano, viro non linguarum solùm cogni-

cognitione, ſed omni politiore litteratura inſtructiſſimo, atque inexplebili legendi auiditate per omne ſcriptorum genus circumuolitanti, qui elapſo proximè anno ſolicitius me interpellari curauit per Nicaſium Ellebodium, virum non tantùm litteris clarum, mihique vetere necesſitudine iunctum, an adhuc exiſtimarem laricem, & cedrum eandem eſſe arborem, vt in epiſtola ad Roſarium affirmaueram. Ego verò Beccanum etiam atque etiam rogo, vt pro eo, quo erga bonas litteras, & litteratos omnes animo affectum puto, ſuam mihi viciſſim ſententiam patefaciat, ecquas habeat faces, quibus tenebricoſiſſimum citrum Gallicum colluſtrare poſſit, ex quo apparatum Gallici triumphi conſtitiſſe, quem C Iulius Cæſar ex quinque egit, teſtatur Velleius Paterculus ſcriptor diſertiſſimus, grauiſſimúſque. Quod reliquum eſt in oratione Plinij, varijs auctorum ſententijs de libris Numæ explicandis datum, ſiquidem incertitudinis obtinet multum, in tanta ſcriptorum diſſenſione â me attingi non debet, tum quòd nulla inde vtilitas ad lectorem redundare queat, tum quòd quantò ipſe longius abſum â tempore quando libri Numæ inuenti fuerunt, eò minus certa, exploratáque docere valeo. Veruntamen nequeo tranſilire quod Plutarchus in vita Numæ annotauit, Antiam prodidiſſe libros, qui reperti fuerunt in Numæ monumento, non duos Latinos, & totidem Græcos, vt ait Plinius, fuiſſe, ſed duodecim de rebus ſacris, & totidem de ſtudio ſapientiæ, hos, vt equidem reor, Græcè, illos Latinè conſcriptos.

MEMBRVM XXV.

Inter omnes verò conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.

Commentarius Guilandini.

SEcunda auctoris ratiocinatio, qua Varronis de chartis decretum euertitur, talis est. Libri, quos Sibylla ad Tarquinium Superbum VII Romanorum regem attulit, erant chartacei: verùm ab hoc Tarquinio Superbo usque ad magnum Alexandrum ducenti circiter anni fluxerunt: ergo verum non est chartarum vsum ante Alexandrum magnum fuisse ignotum. Cæterùm quæ,& quot Sibyllæ,quibus temporibus, & quibus locis fuerint,non parua est inter scriptores dissensio. Quam si cui curæ sit cognoscere,adeat doctissimos Ludouici Viuis commentarios ad librum Augustini decimumoctauum de ciuitate Dei,capite XXIII & Onuphrium Panuinium historicorum quoad vixit sine comparatione maximum in libello singulari, quem de Sibyllis, & carminibus Sibyllinis inscripsit. Ego certè silentio tramittere non possum,conuenire Plinio, & Solino Sibyllam tres solùm libros ad Tarquinium,& eum quidem Superbum attulisse, tametsi Varro in libris rerum diuinarum,citante Lactantio libro I diuinarum institutionum, capite VI, & Suidas tradunt

fuisse hunc Tarquinium Priscum V Romanorum regem, & Sibyllam non tres, sed nouem libros venum ex posuisse, Dionysius quinetiam libro IIII antiquitatum Romanarum, & Gellius libro I, capite XIX testantur nouem libros fuisse, quos anus ad regem attulerit, & hunc Superbum esse consentiunt. Adscribam verba Gellij, tum quòd digna sint vbique, & non ibi tantùm legi, tum quòd multum Plinianæ orationi splendoris afferant: In antiquis, inquit, annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita sunt, Anus hospita atque incognita ad Tarquiniũ Superbum regem adijt, nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula: eos uelle dixit uenundare. Tarquinius pretium percontatus est. Mulier nimium, atque immensum poposcit. Rex quasi anus ætate desiperet, risit. Tum illa foculum coram eo cum igni apposuit: & tres libros ex nouem deussit: & ecquid reliquos sex, an eodem pretio emere uellet, regem interrogauit. Sed enim Tarquinius id multò risit magis, dixítque anum iam proculdubio delirare. Mulier ibidem statim tres libros alios exussit, atque id ipsum denuo placidè rogauit, tres reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio, atque attentiore animo fit: eam constantiam, confidentiámq; non insuper habendam intelligit: & libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quàm quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc â Tarquinio digressam, postea nusquam loci uisam constitit. Libri tres in sacrarium conditi, Sibyllini appellati. Ad eos quasi ad oraculnm quindecimuiri adeunt, cùm dij immortales publicè consulendi sunt. Hactenus Gellius. Illud quoque commonendi sumus, constare apud nobiles auctores, sæpe Romanum Capitolium fuisse incensum, olympiade CLXXIIII, CCXII, CCXLII. Hinc Lu

cretius in fine ſecundi, & M Cicero in libro conſulatus ſui conqueruntur,

Quod pater altitonans ſtellanti nixus olympo
Ipſe ſuas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.

Sed per hoc non eximitur ſcrupus, quem Varro in ipſo de re ruſtica librorum limine legentibus ingerit, quo loco libros Sibyllinos, quos Plinius per incendium Capitolij Syllanum iam abſumptos fuiſſe ait, ipſe octogeſimo uitæ ſuæ anno, hoc eſt quinquageſimo poſt Syllanam conflagrationem publicè adhuc conſuli con ſueuiſſe expreſsè teſtatum reliquit. Soluunt nodum Dionyſius, & Lactantius ijſdem quos proximè indicaui locis, narrantes poſt reſtitutum Capitolium lega tos miſſos Erithras, & ad alia Italiæ, Græciæ, & Aſiæ oppida, qui carmina Sibyllarum, & præſertim Erithreæ conquiſita Romam deportarent. Hi ex omnibus ciuitatibus circa mille uerſus â priuatis deſcriptos col legerunt, Romámq; deportarunt, atque in ordinem redactos in locum crematorum Sibyllæ Cumanæ librorum ſolicitè ſubrogarunt. Libri itaque ad quos Romani poſt Syllanam Capitolij exuſtionem publicè redibant, alij erant ab ijs quos Tarquinius â Sibylla emerat, & ad quos Plinius ſententiam Varronis de chartis reprobaturus prouocat. Cæterùm Sibyllæ, auctore Diodoro libro V, mulieres ſunt uates deo plenæ, â quibus libri earum non Sibyllini modò, ſed fatidici item, fatalesq; appellantur, tum quòd populorum fata cõtinent: tum quòd ſicut nemo fatum ſuum, ſi modò fatum ſit ullum, irritum facere poteſt: ſic quidquid illæ futurum prædixerant, fataliter euenire, & ex omni æternitate definitum credebatur. Liuius decadis quintæ libri ſecundi principio: Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, editúmque ab decemuiris eſt, &

quibus

quibus dijs, quibúsque hostijs sacrificaretur, & vt supplicatio prodigijs expiandis fieret. Idem decadis tertiæ libro II: Cùm tetra prodigia nunciata sunt, decemuiri libros Sibyllinos adire iubentur. Qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quòd eius belli caussa votum Marti foret, non ritè factum, de integro, atque amplius faciendum esse. Et infra: Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terram viui demissi sunt in locum saxo conseptum, ibi antè hostijs humanis minimè Romano sacro imbutum. Plutarchus in Fabio Maximo: Eodem tempore multos arcanos, & vtiles ipsis libros consuluit, quos Sibyllinos appellant. Et meminit idem bis in eo problemate, quo caussam explicare conatur, cur Romani, quibus mos erat Græcos, Gallos, aut aliarum gentium homines, cum quibus tum res esset, viuos defodere, quod & vidisse testatur Plinius libro XXVIII, capite II, Bletonesijs capitaliter interdixerint, ne in posterum hominem immolarent, quinimmo ab ista sacrificij genere deinceps prorsus abstinerent. Tranquillus in Augusto: Quidquid fatidicorum librorum Græci, Latiniq; generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus, vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undique cremauit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Eos libros primùm asseruatos fuisse â duumuiris docent Dionysius, & Maximus Valerius libro primo. Inde decemuiri habuere, quod æquè Dionysius, & Liuius testantur, & comprobat Macrobius libro I Saturnaliorum, capite XVII. Postea curam eorum suscepere quindecimuiri, quod Gellius, & Fenestella diligentissimus scriptor in libro, quem de quindecimuiris edidit,

dit, ostendunt. Postremò præpositi fuerunt custodiæ eorum viri sexaginta, sed remansit quindecimuirûm vocabalum, quemadmodum scribit Seruius ad illa Maronis uerba Æneidos sexto.

Lectosq; sacrabo
Alma viros.

Porrò huius loci esse videtur disquirere qua nam virtute Sibyllæ concepto fatidico spiritu diuina oracula funderent, quibus earum vaticinijs præter scriptores profanos, sacri in ecclesia Dei doctores tantum auctoritatis pondus deferunt, quòd Eusebius, & Augustinus haud verentur affirmare Sibyllam non pauca carminibus de Christo Iesu vaticinatam esse, & multò antè in acrostichide hæc verba inclusisse: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. Iustinus autem martyr, & philosophus in oratione ad Græcos siue gẽtiles inuitat gentes, ut credant Sibyllæ. Credite, inquit, ut dixi vetustissimæ, longeq; antiquissimæ Sibyllæ, cuius libros toto terrarum orbe seruari contingit. Equidem profanos scriptores responsis Sibyllinis fidem haud derogasse, non modò receptissima illa in omnium libris prouerbia testantur: ex tripode dicere: &, folium Sibyllæ narrare: quibus non nisi vehementer vera & indubitata significari constat, sed plerique etiam palàm clara assertione fatentur Sibyllam carminibus suis certissima denunciasse. In quêis Plutarchus cùm alibi frequenter, tum præsertim in eo libello, quo caussam explicat cur Pythia desijt reddere oracula carmine, in hæc uerba infit. Vaticinijs Sibyllarum attestantur multarum Græcarum vrbium euersiones, migrationésue: plurimæ barbarorum exercituum irruptiones, imperiorum euersiones. Hæc verò quæ recens apud Cumas, & Puteolos acciderunt, nónne pridem Sibyllinis decantata carminibus tem-

pus

pus veluti debens perſoluit? eruptionem inquam montani ignis, feruorem maris, ſaxorum, & maſſarum flagrantium venti ui eiectionem, tot, tantarúmq; ſimul vrbium interitum, vt hodie, qui ea loca accedunt, cernere non poſſint vbi nam conditæ fuerint. Hæc Plutarchus, addens ſine diuinitate hæc prædici non potuiſſe. Eaſdem Sibyllas bella Romanorum contra Carthaginenſes, & quòd in omnes gentes arma illaturi erant, teſtatur quingentos annos antè prædixiſſe. Sed, inquit, tum ſæculorum ordo declarat eas hæc pro ſpexiſſe, tum prædixerunt quingentorum annorum tempus, in quo Romani contra omnes nationes eſſent præliaturi. Quantum autem oraculis Sibyllarum fatidicis Plato tribuat, facile intelligitur cùm ex Phœdro, tum ex Menone, tum uerò apertiſſimè ex ijs, quæ Hermias ſecundo in Phœdrum commentario recitat, ubi de Dodonæo oraculo uerba facit. Eos philoſophi commentarios, ſiquidem nondum typis publicati ſunt, mihi ultro commodauit Iohannes Vincentius Pinellus, uir integerrimus, atque innocentiſſimus, qui cùm generis nobilitate, & multiplici litterarum cognitione excellat, omníſque ſapientiæ, & doctrinæ admirator, & ſtudioſus ſemper fuerit, tum iam diu in eam curam præcipuè incumbit, ut libros ueterum utriuſque linguæ aut iam ſitu, & uetuſtate corruptos, inſtauret, aut propter exemplarium paucitatem periclitantes, coëmat vndique: & ad publicam hominum utilitatem in ſua bibliotheca ſeruandos curat. Quare cùm clareat doctiſſimos uiros utriuſque claſſis, iuxta ſacros atque pro fanos, & Sibyllas credidiſſe, & vaticinijs earum fidem habuiſſe, dignum disquiſitione uidetur unde nam hæc vaticinandi poteſtas hominibus aduenit: ſítne natura an arte: &, ſi arte, quibus adminiculis, medijsque

acquiratur:

acquiratur: si natura, num ea intra nos sit, an extra nos: &, si illud, cur omnes non uaticinamur: si hoc, supernísne, an infernis ê partibus adueniat: &, si infernis ê partibus, ex primísne, an secundis, an ultimis qualitatibus resultet. Verùm cùm uniuersam hanc de diuinatione quæstionem præstantissimi philosophorum, astrologorúmque, atque theologorum magno nixu ac conatu iandudum absoluerint, ne rem tanti momenti, quæque multis difficultatibus impedita sit segniter post omnes tractando deridiculus fiam, sat habebo solicitum lectorem reiecisse ad Aristotelem, Platonem, Plotinum, Plutarchum, Iamblichum, Proclum, Porphyrium, Ciceronem, Leonicum, Sirenium, Thomam, Ficinum, Pomponatium, Zimaram, Niphum Suessanum, Aponensem cognomento Conciliatorem, Rabi Moysem, Leui Gersonem, Auicennam, Algazelem, Auerrhoëm, & alios non paucos, qui totum id problema curiosius persequuti esse uidentur. Non dissimulabo tamen non probari mihi Peripateticorum nostro tempore commentum, qui ne dæmones, quos esse non putant fateri substantias sublunares ratione prædi tas cogantur, caussam diuinationum perhibent exhalationes terrestres, quas uarias imprimere affectiones Aristoteles in libro de mundo, Cicero primo de diuinatione, & Plutarchus in libello Cur oracula fari desierint, clarè testantur. Exhalationum, inquit Aristoteles, aliæ diuinos furores inijciunt appropinquantibus, aliæ cibi odium, aliæ faciunt uaticinari, vt oraculum Delphicum, & id quod in Lebaida. Cicero autem: Nam terræ uis Pythiam Delphis incitabat. Et aliquanto superius: Potest autem uis illa terræ, quæ mentem Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuisse uetustate, ut quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos, & deflexos uidemus. Etsi verò

inficias

inficias ire non ausim magnam esse exhalationum potentiam, tamen ut homines ex indoctis & idiotis, ex stolidis amentibúsq; & bardis efficiant litteratos, doctos, intelligentes, & uates, non est necesse ut consentiam. Furor ac dementia, & â sensibus abstractio fieri fortasse possunt ab halitu, inunctionibus, lauacris, cibo, potu, morbis, & id genus alijs: at litterarum doctrinarúmq;, quas nunquam didiceris extemporalem comprehensionem, carminum, quæ ipse non intelligas subitaneam decantationem, uaticinia atque prædictiones, quibus longi rerum euentus ad multa annorum millia ad vnguem respondeant, â terrestri principio excitari, quis tam fatuus sibi persuadeat? Demiror mehercules seueros ac censorios istos Peripateticos, qui dæmones tantopere abhorrent, ut internecinum ijs bellum indixisse uideātur, quos tamen magister, & princeps eorum Aristoteles non modò non sustulit ê rerum natura, unde isti eos eliminant atque proscribunt, sed inter substantias etiam in concauo orbis Lunæ habitantes reposuit. Cùm nanque tertij de generatione animalium calce quærendum proposuisset, cur plures rerum differentiæ existant in humore quàm in terra, soluens inquit: An quia humor naturam habet ad effingendum efformandúmque habiliorem? Cæterùm mare sua natura calidum est, & particeps omnium partium inuenitur, uidelicet humoris, aëris, terræ. Itaque omnia adipiscitur, quæ singulis his locis gignuntur. Plantas enim terræ animalia quispiam esse statuerit: aquæ aquatile animalium genus: aëris τὰ πεζά. Sed quòd magis, minúsue, & remotius, aut propius res constet, magna, miráq; differentia existit. Quartum genus non his locis quærendum est, quãquam aliquid esse exigit ordine ignis. Id enim quartum corpus enumeratur. Verùm ignis semper for

mam non propriam habere uidetur, ſed in alio corpo-re: aut enim aër, aut fumus, aut terra eſſe uidetur quod ignitum eſt. Sed enim genus hoc apud Lunam quæren dum eſt. Hactenus Ariſtoteles. In cuius loci expoſitio ne Philoponus quanquã Ariſtotelem ex Peripatetico faciat Academicũ, tamen teſtatur eſſe & in ęthere corpora, gigniq; particularia ratione prædita, quæq; nullo cibo, ac potu fruãtur, & quæ in intellectuali ac ſpeculãdi cura verſant ur. Quid? Etiámne & in quinto primæ philoſophiæ libro, loco maximè conſpicuo, ex Platonis ſententia loquutum dicemus? Subſtantia, inquit dicuntur & ſimplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & quæ talia ſunt, & vniuerſaliter corpora, & quæ ex his conſiſtunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ. Auerrhoës ibi pro dæmonijs habet idola: neque interpretatione dignatur locum. Alexander autem apud quem locus ille exſtat libro IIII, particula XIIII, communi vtitur fuga, ex aliorum ſententia loquutum inquiens, aut intellexiſſe diuina corpora, & aſtra. Peiore, ut mihi quidem videtur, errore, quàm ſi asſenſum præſtitisſet. Nam cùm dicat philoſophus, Et vniuerſaliter corpora, & quæ ex his conſiſtunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ: igitur cœlum & aſtra faceret ex elementis conſtituta, quo nihil eſt in doctrina Ariſtotelis abſurdius. Nolim tamen credat quiſpiam, me his rationibus auſum profiteri dæmonia poſſe tutò ex Academia traduci in Lyceum, in quo nihil ſatis compertum exploratúmq; iudicatur, quin illud ex motu, vel operatione demonſtretur, ſed id tantùm contendo, non ſic Ariſtotelem dæmonia extra rerum naturam amandaſſe, quin ſuum illis locum alicubi reliquerit, & adhæc nominatim confesſus fuerit, quidquid dicant qui totum ſe hauſisſe Ariſtotelem magnificè crepant. Certè Clemens

Alexan-

Alexandrinus grauiſſimus, & fide digniſſimus auctor libro VI ſtromatum teſtis eſt locupletiſſimus, prodidiſſe Ariſtotelem dæmonijs vti homines, quæ eos per omne quo in corpore verſantur tempus, conſectentur. Quod ſi recipimus, ecquam aliam vaticiniorum Sibyllæ, & Pythiæ rationem quærimus? Sapienter profectò Iamblychus tradit Sibyllas cùm mente, ac iudicio conſtant, atque ſui ſunt iuris, vel nihil, vel parum, vel obſcurè præſagire: quando verò corripiuntnr dæmone, tunc verè vaticinari, multarúmque gentium pericula diuinitus imminentia certò præuidere. Siquidem, vt idem ait, qui numine afflantur, per id quo afflati ſunt tempus, non viuunt ipſa animalis vita, ſed multò auguſtiore præſtantioréq;, quam eſſe dæmonis conuenit. Nam multi eorum admoto igne non vruntur, ignem videlicet repellente dæmone intus afflante: vel ſi vruntur, non perſentiunt, neque pungentia percipiunt, vel radentia, vel vlla omnino tormenta. Addit actiones eorum non eſſe humanas inde conſtare, quoniam per inuia vadunt, pérq; ignem feruntur intacti, & flumina tranſeunt mirabiliter. Ex quibus denique concludit Sibyllam, Pythiam, ſacrificulum in Cataballis, vates alios, quando actu fatum canunt atque prædicant, non viuere vitam humanam aut animalem, quæq; ſenſibus, aut impetu vtatur, ſed longè nobiliorem, & diuinam, quaſi anima eorum moriatur, & Deus ibi ſit pro anima, moueátq: tanquam excellentior anima. Summa ſummarum niſi iſtam Iamblychi rationem tacito ſaltem conſenſu approbauerimus, tolletur omnis gentilium diuinatio, tam quæ fit per contemplationem, & interpretationem ſignorum, quæ à dæmonijs dantur hominibus, quàm quæ ex afflatu proficiſcitur. Sed nec quæ ex furore, nec quæ ex oratione, nec quæ ex ſomnijs,

nec quæ per suffitus, inunctiones, & medicamenta fit prædictio, locum habebit ullum. Absurdum est autem rerum tantarum tollere multitudinem, quæ iam creditur apud omnes homines. Sunt ergo dæmonia, & per hæc diuinationes, responsa, oracula, vaticinia gentilium. At prophetiæ, quas sacræ Hæbræorum litteræ pandunt, tantùm distant ab impuris & nequam dæmonibus, quantùm creatura â creatore excellitur. Est enim prophetiæ substantia donum ex immensa creatoris largitate effusum per intellectum agentem super potentiam animæ rationalis primò, dehinc super imaginariam uirtutem, ad ecclesiæ utilitatem.

MEMBRVM XXVI.

Præterea Mutianus ter consul prodidit nuper se legisse, cùm præsideret Lyciæ, Sarpedonis à Troia scriptam in quodam templo epistolæ chartam. Quod eò magis miror, si etiamnum Homero condente Ægyptus non erat: aut cur, si iam hic erat usus, in ipsa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos non epistolas prodidit? Sterilitatem sentit hoc quoque.

Commen-

Commentarius Guilandini.

TErtium, & ultimum auctoris argumentum, quo Varronis de chartis sententia infringitur, aptè ad hunc explicatur modum. Iliacis temporibus scribebatur in chartis: uerùm ab exciso per Græcos Ilio usque ad Alexandri dominatum principatúmq; colliguntur anni nongenti circiter: ergo falsa reuincitur Varronis assertio, qui usum chartarum nõ ante Alexandrum innotuisse censet. Etsi autem istac ratiocinatione pronunciatum Varronis apertissimè redarguitur, quia tamen Plinius credidit Ægyptum, in qua papyrus nascitur tempore Homeri, qui Troianum excidium decantauit, nondum in lucem erupisse, quemadmodum quinti membri commentario copiosè docui, mauult Mutiani consulis fidem extenuare, & omnem maiori propositioni assensum adimere, quàm armatum telo impotentiore ad iugulandum conficiendumq; hominem ad miraculum usque doctum in arenam descendere. Eò nanque verba illa pertinent: Quod eò magis miror, si etiamnum Homero condente Ægyptus non erat, & quæ deinceps sequuntur. De quibus omnibus quia vberius loquutus sum quarto commentario, ne odiosa eiusdem rei iteratione lectori tœdium pariam, hîc finem de ijs dicendi faciam, si tamen quod arcto pectore clausum habeo, prius in apertum protulero, & liberaliter deprompsero. Equidem sic statuendum arbitror, vsum chartarum antiquissimum esse, verùm non vno eodémq; tempore omnibus gentibus nunciatum fuisse, sed ad quasdam celerius, ad alias tardius peruenisse: & ad quas maturius, non illico etiam tantam chartarum copiam accepisse, ut spretis reiectísq; pellibus animalium, cor-

ticibus & arborum libris, omnes promiſcuè chartarum commodo ad ſacietatem perfrui poſſent. Ad quod credendum impellor non tantùm ijs ipſis quæ auctor tribus hucuſque exemplis ex antiquitate repetitis Varroni obiecit, quæq; ego ſecundi membri commentario aduerſus eundem produxi, uerùm alijs etiam nonnullis haud planè leuibus coniecturis. Nam Herodotus, qui centum amplius annis Alexandro antiquior eſt, narrat in Terpſichore conſueuiſſe barbaras gentes penuria bybli in caprinis, ouillisq; pellibus ſcribere, & byblos ſiue chartas ea de cauſſa pelles appellare, uti ſupra, cùm ſextum membrum illuſtrarem, apertè ex eo auctore oſtendi. Præterea â morte Alexandri uſque ad Antoninum, Commodum, & Seuerum imperatores, ſub quibus Galenum Romæ vixiſſe claret, intercesſerunt anni quingenti triginta circiter, attamen paucioribus quàm trecentis ante Galenum annis adhuc ſcribebatur in pellibus, & in tiliæ corticibus. Quod non obſcurè colligitur ex ijs quæ Galenus ipſemet prodidit in expoſitione libri Hippocratis, qui, de medici officina, inſcribitur, in ipſo operis exordio. Quem locum, quandoquidem lacerum & ſaucium impresſi codices exhibent, ut iterum atque iterum Nicaſium illum Ellebodium, virum optimum, ac integerrimum oblectem, ſanabo eum non ueterum exemplarium auxilio, quorum ego uſu ubique ferè deſtituor, ſed partim ex ingenio, partim ex Latina conuerſione. Τινὲς μὲν γὰρ, φησὶ, καὶ πάνυ παλαιὰ βιβλία ἀνευρεῖν ἐσπούδασαν πρὸ τριακοσίων ἐτῶν γεγραμμένα, τὰ μὲν ἔχοντες ἐν φιλύραις, τὰ δὲ ἐν διαφόροις διφθέραις, ὥσπερ τὰ παρ' ἡμῖν ἐν περγάμῳ. Quidam enim, inquit, operam dederunt, ut ualde antiquos codices inuenirent ante trecentos annos deſcriptos, alios quidem in corticibus tiliaceis, alios verò in præſtantibus

tibus membranis, quales apud nos Pergami habentur. Ex quibus verbis nemo eſt qui non intelligit, tametſi chartæ Alexandro regnante primùm inuentæ fuiſſent, annos tamen poſt ducentos quàm ille in humanis eſſe deſierat, adhuc ſcriptitatum in pellibus, & arborum libris, non niſi ob vnam chartarum penuriam. In ſumma de chartarum inuentione, & vſu idem planè iudicium faciendum esſe videtur, quod de arte typographica, quam artem certum eſt Moguntiæ in Germania ante annos centum triginta opera & diligentia Iohannis Gutembergij, viri equeſtri dignitate publicatam fuisſe. Neque tamen proinde rectè quispiam concluderet, tam vetuſtam esſe non posſe artem imprimendorum librorum, quia Turcæ, Arabes, Perſæ, magna Aſiæ pars, Africa vniuerſa, ac denique maximus orbis terrarum tractus typographiam penitus ignorant: quippe quæ gentes veteris conſuetudinis nondum oblitæ, libris non niſi calamo exaratis etiamnum vtuntur. Sed nec ille quidem rectum verúmq; defenderet, qui eandem libros premendi artem non niſi ante centum & triginta annos excogitatam obſtinatè contenderet, quando admirandis Luſitanorum nauigationibus compertum nouimus artem typographicam tam vetuſtam apud Chinenſes esſe, ut omnem hominum memoriam ſuperet, &, ut inquit Garcias Hortus libro I aromatum apud Indos naſcentium, capite XXXVIII, ſemper vſurpatam apud eos cenſeant. Teſtatur Iohannes Barrus ſua in Aſia, decadis primæ libro IX, capite I, esſe penes ſe Chinenſium coſmographiæ librum, quem illi cum integro, & vniuerſali totius terræ ſitu perbellè typis excusſerint. Iouius etiam libro XIV hiſtoriarum refert Emanuelem Luſitaniæ regem dono miſisſe Leoni X pontifici maximo elephantem cum libro, qui apud

Catai-

Catainorum Cantam, maximam, & præclarissimam vrbem typis excussus fuerat, quem & vidisse se indulgentia ac pietate eiusdem Leonis confirmat. Vtut res habet, nullum profectò incommodum est, rem vnam eandémq;, & nouam, & ueterem censeri relatione ad diuersos populos. Sic nanque lues venerea in Europa, Asia, Africa nondum centenaria esse agnoscitur, quæ Americam iam â mille amplius annis exercet. Idem potuisse chartis accidere, quid uetat? quas in Ægypto, Iudæa, Syria, & in uniuersa cis Taurum Asia multò antè quàm Alexander nasceretur notas fuisse non dubito: in Europa tamen non nisi serò, & fortasse Alexandri primùm victoria publicitus atque abundanter inclaruere. Quam sententiam stabilire uidentur quæ Plinius postremo mox membro subiungit, quando Tiberio quoque imperante, cùm Romani tota Ægypto potirentur, laboratum nihilominus chartarum penuria perhibet.

MEMBRVM XXVII.

Factúmq; iam Tiberio principe inopia chartæ, ut è senatu darentur arbitri dispensandi: aliàs in tumultu vita erat.

Commen-

Commentarius Guilandini.

HÆc habui Baptiſta Grimalde ampliſſime, quæ ad tria C Plinij de papyro, chartíſq; capita exararem. Quarum rerum tantùm abeſt ut timeam, ne quis tenuitatem, facilitatémque inſectetur, ut uerear ne magnitudine potius, ac difficultate deterreatur. Etenim me quoque iuuat, iandiu hoc ſcriptionis genus pertæſum, ad finem hiſtoriæ papyri peruenisſe. Nam etſi profiteri auſum, perſcripturum commentarios in vniuerſam C Plinij hiſtoriam naturalem, in partibus ſingulis tanti operis fatigari minimè conuenit: tamen cùm mecum reputo unam papyrum, hoc eſt inſenſilem eorum librorum particulam, ſex integros menſes mihi ſurripuiſſe, pudet pariter, & pœnitet tantum temporis unis chartis impendisſe. Quarum ſi tantam hodie penuriam haberemus, quanta Tiberio imperante laboratum fuit, cùm de ſenatus conſulto, & uoluntate iudicum chartæ diſpenſabantur, minus profectò infelix Europa tumultuaretur, quam ingens earum copia indies magis magíſq; frangit atque affligit. Quid enim chartis acceptum referri non debet? Vnde noſtra patrúmque memoria grauiora aut bella, aut cædes frequentiores exortæ? Quas non noxias, prauáſq; de Deo, & religione credulitates reſtibilis iſta chartarum fecunditas in Europam inuexit? Væ uobis hæretici genus inuiſum Deo, & hominibus, qui ob unam regnandi cupiditatem temere antiquatis abhinc ad ſeſquimilleſimum annum ſancita, & ſacroſanctam Romanæ eccleſiæ auctoritatem ubique iandiu fruſtra

 eleua-

eleuare ſtudetis. Ego ſicubi in hoc opere, vel in alijs â me conſcriptis quidquam incautius asſerui, quod ſinceræ doctrinæ Romanæ eccleſiæ minus quadrare uideatur, ueniam mihi dari cùm humiliter, tum reuerenter poſtulo, & me non tam ſcientia, quàm ignorantia lapſum palàm profiteor atque atteſtor.





HIERONYMI MERCVRIALIS

Repugnantia, qua pro Galeno ſtrenuè pugnatur.

ITEM

MELCHIORIS GVILANDINI

Aſſertio ſententiæ in Galenum â ſe pronunciatæ.



Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν.

MELCHIOR GVILANDINVS IOHANNI VINCENTIO PInello, antiqua nobilitate, ac proprijs uirtutibus uerè claro S. D.



Vanquam multas, & graues caussas habeam Iohannes Vincenti Pinelle, quæ me iandiu cunctantem impellere potuerunt, ut controuersiam hanc unguentariam, cui Galeni quædam attestatio occasionem præbuit, in uulgus, manúsq; hominum emanare paterer: tamen nullas reputo potiores eis, quæ Hieronymum Mercurialem, uirum cùm ab excellenti doctrina, tum singulari humanitate laudatissimum induxerunt, ut disputata per litteras abhinc quinquennium inter nos omnibus palàm faceret, quæ tamen ego æternùm domesticis finibus conclusa, atque abdita in tenebris tenere olim decreueram. Cæterùm siue ille gloriæ cupiditate inflammatus, quam non mediocrem hucusque apud omnes totius Europæ eruditos est consequutus: siue ductus

ue ductus opinione ingenium exercendi, quod habet acerrimum, & quodam igne uolucre: siue denique spe iuuandi posteritatem, atque ipsam adeo veritatem defendendi fretus ad id agendum accesserit: haud equidem in magno ponam discrimine: si modò eadem, quæ illius partes defendet, ratio meum hoc pariter factum excuset, & à crimine violatæ amicitiæ, quam æternam esse opto, tueatur atque absoluat. Fateor equidem Mercurialem pia magis quàm necessaria miseratione permotum voluisse nomini meo, famæq; consulere, cùm in libris suis variarum lectionum, quos nuper non sine magno eruditorum applausu & fauore publicauit, sedulò contenderit, ne auctorem, qui Galenum in expositione Ægyptij vnguenti confidenter damnasse visus est, ipse irreuerenter, & temere detegeret, notum faceret, proderet. Quam ego miserationem eius non solùm magni habendam puto, sed etiam gnauiter eximendam, discutiendámq;, nisi aut præuaricator dici velim, aut beneficij accepti dissimulator, aut immemor, quam à me culpã esse procul, ut quilibet intelligeret, semper studui.

Etenim à primis ſtatim annis me ita compara-ui, vt benefacta tum in recenti ubique memoria haberem, tum, quoad per me fieri poſſet, ſemper in lucem collocarem: malefacta autem obliuioni traderem: in his nomen obliuioſi haud faſtidiens, in illis memoris ad ambitionem uſque requirens. Nam quid tam fugiendum quàm ingrati animi uitium? Quid grati animi affectione expetendum magis? Quid ingrato nocentius? Quid magis nefarium aut impium? Nihil æquè concordiam humani generis disſociat ac diſtrahit, quàm ingrati animi crimen, quod priuatos odijs inflammat, respublicas lædit turbátq;, pacem ac tranquillitatem ſubruit atque euertit. Quapropter quô iſtius flagitij notam non ſolùm effugerem, verùm etiam Mercurialem, qui tam miſeranter mei miſertus erat, pleniori obſequio demererer: facere non potui, quin ultro me ipſum patefacerem, & hanc confesſione mea gratiam pijsſimo homini rependerem, me ſcilicet esſe eum, qui aberraſſe Galenum in Ægyptij unguenti comprehenſione asſerui. At hercle non minus humaniter, quàm ſapienter fecisſet

Mercurialis, si post consumptam deliberationem in edendo contra me sententiam suam, integras utriusque nostrum litteras, quibus quæstionem istam inter nos agitauimus, typis excudi curauisset, quò pugnantes hinc inde rationes facilius agnosci, ac dijudicari potuissent. Quod quia non fecit, quid aliud dicendum, quàm uoluisse Mercurialem absente Guilandino litem contestari, & iudicis personam propria in caussa assumere. Verùm enimuero cùm me in hac controuersia pari iure cum Mercuriale esse etiamnum credam, ne caussam non planè malam, ut equidem arbitror, deseruisse uidear, te appello eruditissime ac placidissime Pinelle, ad cuius iustissimum tribunal totam hanc litem statuo, quem ego, quod ad me attinet, sumo iudicem, atque uniuersæ disceptationis cum suprema auctoritate arbitrum dico, eligo, accipio. Nam cùm uirtutes omnes in te usque adeo præcellenti temperamento concentuq; ad admirationem respondere intelligam, ut nemo omnium inter illustri genere natos, qui hoc tempore litteris operam nauant, Christiana probitate spectatior, nemo admi-

rabilior

rabilior doctrina, nemo utriúsque linguæ intelligentia clarior, & nemo denique generosis moribus ornatior aut splendidior hominum sermone uel celebretur magis, uel in maiori apud omnes existimatione habeatur, uerendum mihi non est, quin ab primario, & tanto iudice, quantus iure merito apud me, omnésq; haberis, æquissimam debeam expectare sententiam. Quare uehementer etiam atque etiam rogo, ut quandoquidem Hieronymo Mercuriale ualde familiariter uteris, me uerò maximis beneficiorum tuorum uinculis, quibus iamdiu me obligare non cessas, obstrictum habes, ne grauere prompto & alacri animo istam recipere prouinciam, atquè hanc dedicationis, interpellationisq; meæ audaciam æqui boniq; consulere. Valeas, floreas, uigeas. Ex horto medicinali Patauino. Anno à Christo nato septuagesimosecundo supra sesquimillesimum.

ANnotatiuncula, quam Augustinus Gadaldinus ex litteris Melchioris Guilandini excerpsit, & margini libri de linguis in quarta Galeni operum per Iuntas editione apponi curauit.

DVplex hoc loco Galeni error elucet, tum quia vnguentum Aegyptium non est metopium, tum quia metopium haudquaquam conficiebatur ex floribus spinæ Aegyptiæ, quam spinam Dioscorides Acaciam uocat. Cæterùm unguentum Aegyptium idem esse quod stacten (quam sacræ Hebræorum litteræ ueteris uersionis guttam appellant) testis est Didymus apud Athenæum δειπνοσοφιςῶν *decimoquinto. Vnde uerò constaret quod metopium dicebatur, perspicuè docet Dioscorides, Paullus, Plinius, Athenæus, alij.*

HIERONYMI MERCVRIALIS repugnantia, qua pro Galeno ſtrenuè pugnatur.

AD MELCHIOREM GVILANDINVM.





Gitur iam decimus & tertius annus doctiſſime Guilandine, ex quo ego Patauij philoſophiæ, ac medicinæ ſtudijs operam nauans, Falloppijq; præceptoris conſuetudine familiariter utens, ingenium tuum, ac miram in perueſtigandis plantarum naturis ſedulitatem cognoui. Quo tempore ita ſemper mihi charus fuiſti, ac probitas, eruditio, humanitas, omnes in te ſummæ, nec non amor in me tuus poſtulabant. Peractis ſtudijs meis cùm in patriam ſe cesſisſem, aliquot poſt annos ab Alexandro Farneſio Cardinale maximo in medicum accitus Vrbem colere cœpi: ubi nec multa locorum intercapedo, nec intermisſus amicitiæ noſtræ uſus tantum ualuerunt, ut memoriam uirtutum tuarum quotidie â nominis ac ſcriptorum commendatione renouatam ex animo meo uel delere, uel minuere vnquam potuerint. Quod an tibi de me euenerit, cuius nec ullum nomen, nec meritum exſtat, ſæpius per litteras exploraſſem, niſi modeſtia

 quadam,

quadam, aut potius segnitie detentus rem semper in magis oportunum tempus distulissem. Nuper autem cùm in librum Galeni, in quo is obsoletas Hippocratis uoces interpretatur, â Iuntis postremò editum, inciderim: scripta quædam tua ab Augustino Gadaldino medico præstantissimo in margine notata, ubi errores quosdam Galeni detegere tentas, occurrerunt: quibus statim ueluti quadam mihi â fortuna ad te scribendi oblata occasione uti statui: quô simul & pristinæ amicitiæ nostræ nomen saltem restitueretur, & Galenum, cui omnia medici omnes debent, uel tuerer, uel ipsum errasse certius intelligerem. Quòd eò libentius sum aggressus, quoniam te hanc meam audaciam eo animi candore accepturum esse speraui, quo ego ad scribendum sum excitatus. Scribis igitur ad Gadaldinum in exponenda unguenti Ægyptij uoce Galenum duos errores commisisse: alterum, quòd unguentum Ægyptium ex spina Ægyptia, Acaciæ nomine â Dioscoride descripta, compositum fuisse scribat: alterum, quòd idem metopium esse uoluerit. Primum eo argumento demonstras, quoniam Didymus apud Athenæum Ægyptium unguentum stacten, siue guttam (ut ueteris scripturæ auctores dicunt) fuisse refert: alterum probas, quòd metopium quale esset, & cur ita nominaretur, longè diuerso modo indicarunt Dioscorides, Paullus, & alij. Ego uerò Guilandine, tantùm abest ut credam Galenum hac in re nos fefellisse, quòd potius te (nisi grauioribus rationibus aliud sentire cogar) uel prauos Athenæi, & Galeni codices habuisse, uel horum auctorum verba, pro tuis multis occupationibus, minus sedulò examinasse puto. Quam sententiam meam ne ulla ex parte ignores, primò demonstrabo neque Dydimum id, quod ipsi imputasti, sensisse: neque Ægyptium unguentum stacten fuisse:

tum

tum quo modo Galeni uerba uiro ingenuo sint interpretanda, exponam. Postremò adijciam de metopio quid Galenus senserit: vnde nullum reprehendere illum uolentibus locum remansurum spero. Didymus enim in XV dipnosophistarum hæc ex uetustissimo Athenæi codice, qui apud Alexandrum Farnesium seruatur, excerpta, nec in uulgatis Græcis codicibus exscripta, habet: Τοῦ δ' αἰγυπτίου μύρου μνημονεύει Ἀχαιὸς ἐν ἄθλοις φησίν: εἰς ἀργυροῦν τις χειρὶ κυπρίου λίθου δώσει κόσμον χριμάτων τ' αἰγυπτίων: μήποτ' οὖν (φησὶν ὁ Δίδυμος) καλουμένην στακτὴν λέγει διὰ τὴν σμύρναν; ἣν εἰς αἴγυπτον καταγομένην κομίζεσθαι πρὸς τοὺς ἕλληνας. Ex quibus uerbis nemo non uidet Didymum haudquaquam dubitare de Ægyptio unguento, quod sic propriè dicebatur, an fuerit stacte, sed de unctionibus Ægyptijs. Nam μῦρον, & χρίματα differre inter se, cuiuis Græcarum litterarum perito constat satis. Quod si etiam de unguento Ægyptio illius dubitationem institutam esse contendas; nunquam tamen ex eius oratione vnguentum Ægyptium stacten esse illum affirmare conuinces: nempe qui tantummodo hoc dicat: An Achæus unguentum Ægyptium stacten uocat ob myrrham? quæ ex Ægypto ad Græcos defertur. Id etiam tantò minus obtinueris, si eum codicem, quem Latinus interpres habuit, sectari placeat, in quo ita legitur. Nominauit alicubi Didymus etiam stacten uocatam ob myrrham, quam in Ægyptum perlatam ad Græcos deportari aiunt. Vnde perspicere nequeo quo spiritu ductus eam Didymo sententiam tribueris, quæ nullibi reperitur in libro â te citato. Cæterùm Ægyptium unguentum stacten non fuisse iam tibi persuasum erit, si, quæ â grauissimo, & vetustissimo auctore Theophrasto in libro de odoribus memoriæ mandata inueniuntur, exactè considerare volueris. Hæc enim sunt:

sunt: Τὸ δ' αἰγύπτιον, μῦρον ἐκ πλειόνων, ἔκ τε τοῦ κιναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων. ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτου, τὸ μεγαλεῖον. καὶ γὰρ ἐκ κιναμώμου, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης, ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι, καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. Et paullò post: πολυχρονιώτατον δ' ἐστὶ τό τ' αἰγύπτιον, καὶ τὸ ἴρινον, καὶ τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον. πάντων δὲ μάλιστα ἡ στακτή. Iterum: ταῖς δὲ γυναιξὶν ἡ στακτὴ, καὶ τὸ μεγαλεῖον, καὶ τὸ αἰγύπτιον. Amplius: τῶν δὲ μύρων τὸ αἰγύπτιον, καὶ ἡ στακτὴ, καὶ ἔτι ἄλλο πολύοδμον, καὶ μιγνύμενα τῷ οἴνῳ τῷ εὐώδει. Ex quibus verbis luce clarius apparet aliud Ægyptium unguentum ex pluribus pharmacis commixtum: aliud stacten extitisse: quod unguenti genus simplicissimum fuisse omnium Theophrastus, ex sola myrrha constitisse Athenæus capite XV libri XV, ipsius myrrhæ pinguitudinem fuisse Dioscorides scribit: ut simul etiam te deceptum esse appareat, quando utrunque idem esse asseuerasti. Neque enim dicas apud Theophrastum Mendesium, & Ægyptium unguenta eadem fuisse: quandoquidem si megalij descriptionem â Theophrasto traditam, & Mendesij â Dioscoride considerabis: intelliges Theophrasto non Ægyptium, sed megalium fuisse mendesium. In qua opinione magis confirmor, dum animaduerto Plinium Theophrasti imitatorem, ubi unguentorum tractationem instituit, de mendesio, & Ægyptio separatim mentionem fecisse, nunquam autem de megalio. Quod porrò Galenus tradat Ægyptium unguentum constitisse ex spina Ægyptia, minimè illud â verisimili recedit: tum quia Hippocrates in libro de natura muliebri, & in libris de morbis mulieribus eo unguenti genere in vteri affectibus utitur, sicut in eorum aliquibus acaciam, siue Ægyptiam spinam commendat Dioscorides: tum quia pluribus unguentis Ægyptiorum nomen

men attributum inuenitur. Et iccirco fieri poteſt, ut unguentum â Galeno nominatum ita Ægyptium ſit vocatum, quemadmodum mendeſio, malabathrino, nec non illi quod ἀπὸ τῆς σκάφης dicebatur, contigiſſe narrat Herotianus in onomaſtico. Quod nomen inde natum exiſtimo, quoniam aut illa in Ægypto inuenta, & compoſita erant: aut odorata pharmaca, ex quibus conficiebantur, ex Ægypto in Græciam atque Romam conuehebantur. Quanquam puto etiam Galenum nominasſe unam Ægyptiam ſpinam, non quòd ex ea ſola ipſum Ægyptium unguentum conficeretur, ſed quòd ipſa multis alijs odoribus commixta toti unguento nomen Ægyptij traderet, ut de metopij nomine ſcribit Dioſcorides. Quocirca Galeni verba ſic (ut decet) interpretanti manifeſtum euadit illum nequaquam errasſe, ubi dixit Ægyptium apud Hippocratem unguentum ex Ægyptia ſpina conſtitisſe: quaſi multis alijs odoratis rebus (ut loco citato Theophraſtus teſtatur) commixtum, ab Ægyptia ſpina tantùm id nomen ſortiretur. Quod poſtremò Galeno adſcribis illum tradidisſe Ægyptium unguentum metopium fuisſe, minimè (pace tua dicam) uerum eſt: fateor tamen ipſum dixiſſe unguentum illud Ægyptium etiam metopium esſe uocatum. Quod quantum â ſententia ſibi â te deſcripta differat, omnes ſciunt qui optimorum auctorum uerba non ſuperficietenus contemplari ſolent. Posſe enim quidpiam alterius rei nomine uocari, ſiue ob excellentiam, ſiue ob ſimilitudinem, ſiue ob vſum, nec rationi, nec conſuetudini refragatur. An uerò unguentum illud metopium uocari reperiatur, tametſi apud nullum probatum auctorem legerim hactenus, nihilominus conijci ſine labore poteſt metopij quoque nomen plura unguentorum genera recepisſe. Quandoquidem ſi etymon metopij conſideretur,

tur, perſpicuum ſit illud unguentum ſignificaſſe, quod frõti illiniretur: cúmq; multa in ſimilem uſum haberentur, cuncta, uel ſaltem aliqua metopia appellata eſſe, & ob id Ægyptium quoque metopium uocatum minimè abſurdum eſt: eò magis quòd illud mulieres in uſu habuiſſe ſcribit Theophraſtus, quas frõtem maximopere colere unusquisque nouit. Neque me latet Dioſcoridem, ac ipſum ſequutos Aëtium, & Paullum uoluiſſe metopium dictum â galbani ligno metopio nũcupato: ſed uel fortaſſe illos malè ſenſiſſe, uel cùm eorum, tum noſtram ſententiam ueram eſſe non repugnat. Accedit his, quòd Plinius libro XIII, capite I ſcribit mendeſij exiſtimationem creuiſſe, quando balanino reſina, ac metopium admiſceri cœpit, innuere videtur aliud metopium fuiſſe diuerſum â Dioſcoridiano, ne ſileatur apud Athenæum de metopio ſolùm reperiri ſcriptum, quod ex amygdalis amaris cõficeretur. Quamobrem, ſi Galenus dixit Ægyptium unguentum etiam metopium uocatum eſſe, uerum dixiſſe potuit: niſi rationes, quæ contrarium demonſtrent in medium afferantur. Neque credendum eſt Galenum, qui Dioſcoridis commentaria diligentiſſimè lectitauerat, uſque adeo immemorem fuiſſe, ut ignorarit metopium ab illo deſcriptum, & craſſa quadam ſtupiditate ductus Ægyptio unguento metopij nomen ſine ulla ratione tribuerit. Atque tot ſunt, quæ mihi pro Galeni defenſione diſputanda occurrunt. Ad te modò ſpectabit mi Guilandine, ea tuo acri iudicio examinare, ſiq; me cum Galeno errare deprehenderis, beneuolo animo rationes tuas aperire, perſuaſúmq; habere nihil poſſe mihi optatius contingere, quàm ut ueritatem ope tua probè cognoſcam, méq; â te amari intelligam. Vale. Romæ Idibus Martij M D LXVII.

Melchioris

MELCHIORIS GVILANDINI asſertio ſententiæ in Galenum à ſe pronunciatæ.

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM.



Ccepi pridie Kalend. Maij elegantem tuam ad me datam epiſtolam, doctam, copioſam, grauem, ſummo etiam artificio conſcriptam, ſummo ingenio, qua annotatiunculam quãdam noſtram ad Galeni ἐν γλώσσαις locum, â Gadaldino perpolito illo quidem, & excellenti doctrina uiro, me inſcio, appoſitam, uario tu ſanè conatu, uarijsq; machinis oppugnare aggresſus es. In ea uerò me duo vehementer oblectarunt, tum quòd uiuere apud te Guilandini memoriam abunde perſpexi, ut neque temporum, neque locorum interualla quidquam ex ea detriuisſe videantur: tum quòd mihi ingenij tui ἀκρίβειαν, qua neque oſcitanter, neque negligenter optimorum auctorum lectionem adeundam hortaris, ſed exactè, & accuratè ſingula quaſi in trutina pendenda, ac ad tornum, cothurnúmq; reuocanda, uelut in ſpeculo ſpectandam propoſuiſti. Qua in re non posſum non magnopere probare ſententiam tuam, quando iſta incedenti calle necesſe eſt, ut multa animaduerſione digna occurrant, multa etiam ambigua, & ancipitia: quod ſanè per incuriam, cuius tu me arbitratu tuo reum agis, facientibus hoc nó accidit.

Neque enim aut illustria seligunt sibi ceu in promptuarium, depromenda cùm se obtulerit occasio: neque obscurioribus inhærent, ut eis lucem afferant: sed æquè illis omnia præterfluunt. Quòd uerò memoriæ nominis mei, & scriptis nonnullis tantum tribuas, quantum, si uel omnium ambitiosissimus sim, non agnoscam: in eo intelligo, quantum humanitati tuæ debeam. Sed tantum abest, vt ista laudis commemoratio me commouerit, vt volens etiam, libénsq; tibi omnibus subsellijs cedam, illud subinde testatus, daturum me perpetuò operam diligentem, ne in hoc amoris, & beneuolentiæ studio herbam porrigam. Quanquam autem mihi ocij parum erat ad scribendum in hoc publico docendi munere, quod intra scholæ Patauinæ uiridarium meam vbique præsentiam requirit: in hoc tempore, cùm omnes omnium prope generum stirpes quàm clarissimè opes suas ostentant: in hac concursatione lectissimorum iuuenum omnia cognoscere cupientium: tamen quantuncunque mihi fuit vacui spacij, id non potui non tribuere ei, quod tu me poscebas ambitiosulè, & confidenter, ut nempe uno spiritu & tibi, & Galeno occurrens, vtriusque pariter errores acriter proscribam, confodiámq;. Equidem plenum humanitatis illud, quòd tu singularis doctrinæ, & perspicacis ingenij uir, illa, quæ dubitationem ingerunt, ad me referas: quasi non tu ipse tibi in maxima quaque difficultate non adesse modò, verùm etiam superesse possis. Morem tamen geram tibi, non opem equidem ingenio tuo, qua id minimè opus habet, afferens, sed uoluntati potius tuæ obsequens. Quòd, ut certiori demonstrandi methodo, & pleniori utriusque fœnore fiat: illud ante omnia pro confesso accipi uolo, quod Galenum quoque ἐν γλώσσαις approbare animaduerto, nimirum Hippocratem quatuor

res inter ſe differentes ſignificaſſe, quando modò oleum Ægyptium abſolutè, modò cum adiunctione oleum Ægyptium album, & rurſus cùm unguentum Ægyptium ſimpliciter, iterúmq; cùm unguẽtum Ægyptium album copulatè ἐν τῷ περὶ γυναικείης φύσιος, καὶ ἐν τῷ περὶ γυναικείων, atque alibi commemorat: quanquam Erotianus non rectè, & contra mentem Galeni pro uno tantùm, eodémq; medicamento omnia illa quatuor accepiſſe uidetur: quippe qui neque unguentum Ægyptium abſolutè prolatum ab oleo Ægyptio ſeparauit, neque alterutrum â mendeſio diſtinxit, quod mendeſium Hippocrati eſſe unguentum Ægyptium album Galeno credimus. Deinde non eſſe in dubium uocandum puto, unguentum Ægyptium, cuius Theophraſtus ἐν τῷ περὶ ὀσμῶν abſolutè & citra alterius dictionis adiectionem meminit, quidquam diſcrepare ab eo, quod Hippocrates, & Galenus vnguentum Ægyptium album appellauerunt. Huius enim fulcimentum eſt partim ille ipſe Theophraſti libellus, partim autem etiam Galenus in libro & capite ſecundo pharmacorum partium. Nam Theophraſtus non modò pro duobus agnoſcit unguentum Ægyptium, & megalium, verùm etiam priuatim Ægyptium id commendari ait, quod ſit colore λευκόν. Galenus uerò pro eodem habet unguentum Ægyptium, megalium, atque mendeſium. Niſi ergo vnguentum Ægyptium Theophraſti capiamus pro eo, quod Hippocrati, & Galeno album nuncupatur, non uideo quî aut Theophraſtum, aut certè Galenum eo in loco ab erroris labecula tueri ualeamus. Poſtremò nobis ſtudioſè cauendum eſſe ſtatuo, ne in ueterum medicamentis interpretandis ab expoſitione eorundem ueterum temere, & ex ingenij ſolùm acumine recedamus, priusquam aut pugnantia ſcripſiſſe eos de eadem re exploratum

habeamus, aut certè ueteres per alios veteres rectius declarare possimus. Quibus in hunc modum constitutis, nunc, quæ in me congessisti spicula, in tua conabor conuertere uiscera, nusquam ab eo ordine, quem tu tibi obseruandum proposuisti, recedens. Cùm superioribus proximis annis, nacto Venetijs antiquissimo exemplo Athenæi, inuenirem omnia illa, quæ in uulgatis eius auctoris codicibus non sine magna eruditorum indignatione haud ita pridem desiderabantur: nihil antiquius habui, quàm ut lacunam illam explerem, & publicum damnum sarcirem, redintegrarémq;. Sed dum in eo eram: citò mox deinde allati sunt ad me Gulielmi Canteri nouarum lectionum libri, in quorum tertio vir ille persanauerat vlcus illud tam fœdum, & rebelle, ídq; liberalitate M. Antonij Mureti viri doctissimi, qui fragmentum Athenæi illud ex Vaticana bibliotheca descriptum illi viro communicauerat. Cùm verò ego iam olim annotatum inuenissem ab Hermolao Barbaro libro primo corollariorum in Dioscoridem, & pariter â Ruellio libro primo de natura stirpium, scribere Athenæum appellatione unguenti Ægyptij stacten uenire: non semel â capite ad calcem totum eius auctoris opus, quo plerique omnes Basiliensium typographorum studio hodie utimur, percurri, non parum de fide Ruellij, Barbarique; subinde addubitans. Tandem verò cum mihi oblatum fuisset exemplar Venetum, cuius ope rima illa, quæ in impressis codicibus hiabat, decenter admodum obstruebatur, nec non & fragmentum Canteri diligentia pupublicatum; statim intelligere cœpi, viros illos, quorum ego testimonio minus reuerenter assurrexeram, quanquam illi & grauissimi essent, & planè in tantum laudandi, in quantum uirtus intelligi potest, nullo alio Athenæi ex loco sententiam eam de unguento Ægyptio,

ptio, quæ ſtacte uocatur, hauſiſſe, quàm ex uerbis Didymi, quæ in quinto ſupra decimum δειπνοσοφιστῶν libro leguntur. Verùm quoniam totus ille Athenæi locus non paruam habet obſcuritatem, tum quòd tranſcribentium incuria mirè eſt deprauatus, tum quòd Achæi verba ægrè intelligi posſunt: ideo, ut gratum tibi faciam, reſtituam eum partim ex duorum exemplarium, & tuarum pariter litterarum collatione, partim ex Hermolai, & Ruellij fide: &, quid Achæus ſibi voluerit, indicabo. Conſtitutum autem ſit Athenæum eo in loco verba facere περὶ μύρων, non ſanè de ijs vnguentis ſolùm, quæ propriè μῦρα Græcis dicuntur, verùm, vt nomen hoc extenditur ad ea etiam, quæ χρίσματα, καὶ ἀλείμματα, immo verò & ἔλαια ijsdem nominari conſueuerunt. Id ſanè apertiſſimè etiam oſtendunt Apollonij, & Hiceſij uerba ab Athenæo ibi relata, quorum ille amaris ex amygdalis metopium, reuera quidem ἔλαιον illud, inter μῦρα connumerat: hic uerò τῶν μύρων φησὶν, ἃ μέν ἐστι χρίματα, ἃ δὲ ἀλείμματα. Vt non parum miratus ſim, quid te impulerit, ut tam ſuperciliosè ſcriberes, μῦρον καὶ χρῖμα differre inter ſe cuiuis Græcarum litterarum perito conſtare ſatis. Cuius enim rei gratia hoc abs te allatum exiſtimari debet? Profectò non alterius, quàm ut tuam mihi conniuentiam in legendo Athenæo teſtatam faceres, uel certè ipſimet Athenæo colophum impingeres, quem χρῖμα αἰγύπτιον in Achæo pro μῦρον αἰγύπτιον interpretari uidebas. Sed hæc leuia. Inquit autem Athenæus: τοῦ δ' αἰγυπτίου μύρου μνημονεύων Ἀχαιὸς, ἐν Ἄθλοις φησὶν:

Εἰς ἄγριόν τις χεῖρα κυπρίου λίθου
Δώσει κόσμον ἠὲ χριμάτων αἰγυπτίων;

Μήποτε, φησὶν ὁ Δίδυμος, τὴν καλουμένην στακτὴν λέγει διὰ τὴν σμύρναν. Vt legamus Achæi verba interrogatiuè, & ſenſus ſit: Ecquis tam fatuus eſt, ut cenſeat mundum

Ciprij

Cyprij lapidis, aut Ægyptiorum unguentorum in manum rudis, & rustici hominis dandum? Sanè, ut Didymo placet, Achæus per χρίμα αἰγύπτιον denotat στακτὴν ex myrrha. Nam cùm stacte iuxta atque Cyprius lapis non nisi regum digna thesauris ob caritatem, & summam apud omnes existimationem iudicarentur: ideo Achæus iniquum putat ea çerdonum, lucrionum, ueteramentariorum, & de uili grege hominum manibus tractanda dare. Quo in loco particula μήποτε in verbis Didymi, non habet uim negandi, nec dubitanter decernendi, sed cum graui quadam, & philosophica modestia affirmandi: in qua significatione millies eadem dictione usum esse Simplicium legimus. Quare cùm χρίμα αἰγύπτιον, auctore Didymo, sit stacte: Athenæus verò χρίμα Ægyptium pro eodem habeat cum myro Ægyptio; quid obstat, quin μῦρον Ægyptium esse stacten tueri possimus? Cæterùm in quanta existimatione, & pretio stacte apud antiquos fuerit, satis eiusdem Athenæi verbis innotescit libro δειπνοσοφιστῶν quinto, vt interim missos faciam Theophrastum, Polybium, Sacra biblia, cæteros. Hic, inquit Athenæus, ad dicentem quendam, Beati estis vos ô reges, qui his unguentis utimini, & suauissimè oletis, nihil quidem respondit: sed ubi ille postea lauabatur, ingressus maximum κεράμιον πολυτελεστάτου μύρου τῆς στακτῆς in caput ei profundi iussit, ita ut omnes surgentes in unguento conuoluti lauarentur, cadentésq; ob illius tenacitatem risum concitarent, sicut & ipse rex. De Cyprij autem lapidis præstantia testimonium perhibet Dioscorides, qui eum amiantum nominat, & in Cypro nasci asserit, ex quo prisca ætas telas, & uela tantùm spectaculi gratia texebat, quæ ignibus iniecta ardebant quidem, sed flammis inuicta splendidiora inde exibant. Pausanias appellat linum carpasium,

pasium, Strabo Carystium, Plinius asbestinum, uiuúmq; qui & rarum inuentu esse memorat, & cùm inuentum fuerit æquare pretium excellentium margaritarum. Solinus carbasum, Zoroaster bostrychitem, quidam corsoidem, nonnulli poliam, alij spartopoliam, denique rudis medicorum plebecula plumam salamandræ, & alumen scissile falsò indigitat. Sed enim & alteram expositionem ad locum illum Athenæi afferre possem, nihil mutatis uerbis, vt tu legisse videris, nisi me alioqui cunctantem etiam prorsus retardaret Cyprius ille lapis, quem ut ingenuè fatear, neque pro alabastrite, aut argento, in quibus ueteres unguenta sua seruasse legimus, neque pro amianto secundum hanc quidem explicationem, aut cyano, chrysocolláue, qui lapides omnes in Cypro nascebantur, rectè illic accipi posse animaduerto. Quisnam, inquit Achæus, infundet manu in argenteum Cypri lapidis uasculum unguentorum delicias Ægyptiorum? Quod si uerò Cyprus haberet onychem, aut argenti fodinas, non uererer ἀργυρου χυπρίου λίθου uasis periphrasin dicere, quod uel ex argento Cyprij metalli confectum erat, vel ex candido ac splendente alabastrite, quem Cyprus genuisset. Nisi fortasse quis magis probat, ut pro λίθου legamus μύρου: ac si iambographus optaret infundi sibi ab aliquo in argenteum poculum unguentorum nobilissima, ceu Cyprium, Ægyptium, & id genus alia: quandoquidem unguenta in potu addi consueuisse testantur Plinius & Athenæus, idq; non tam amaritudinis gratia, quàm ut potantes odore prodigo fruerentur ex utraque corporis parte. Ex quibus omnibus te intelligere iam arbitror, primis tuis telis duobus, in quibus tanquam grauioris armaturæ, & antesignanis omnem uictoriæ spem collocaueras, nihilo plus roboris relinqui, quàm semianimi, iamiámq; moribundo

ribundo

ribundo animali adesse uidemus. Nam & Didymi sententiam esse; ut ego ad Gadaldinum scripseram, Ruellius quoque, & Barbarus ille nusquam non â barbarie alienissimus, longè ante me in litteras retulerunt, & stacten denotari â ueteribus per Ægyptium unguentum, immo verò Ægyptium unguentum dici stacten, tam perspicuum, apertúmq; fecisse existimo, ut posthac non nisi cum refractariolo, & nimis in sua sententia tenaci de eadem re decertandum mihi esse confidam. Verùm quia calidum, minásq; etiamnum spirare te prospicio, quòd ingentem planè fiduciam repositam habere uidearis in locis illis Theophrasti minus concinnè congestis: ideo, ne diutius te solicitum, suspensúmq; teneam, remitto te ad priora duo fundamenta supra iacta, quæ tibi, quantum quidem conijcere ualeo, omnem de uictoria potiunda spem adimere, excuteréq; poterunt. Quid enim? Nónne Hippocratem quatuor pigmentorum genera attigisse ex Galeno pronunciauimus, sicubi commemorat oleum Ægyptium, oleum Ægyptium album, unguentum Ægyptium, & unguentum Ægyptium album? At secundæ positionis nostræ summa hæc erat, Theophrastum ubique per unguentum Ægyptium significare non quod ab Hippocrate unguentum Ægyptium absolutè, sed quòd cum additione, album nuncupabatur. Cui sententiæ nostræ adstipulatur Adrianus Turnebus clarissimum Galliæ suæ decus, & eruditorum, quotquot nostra uidit ætas facile princeps & coryphæus, qui Ægyptium unguentum apud Theophrastum mendesium esse confirmat, Galeni communitus clypeo, qui vnguentum Ægyptium album apud Hippocratem interpretatur mendesium. Neque tu mihi hîc obijcias megaleum Theophrasti esse idem cum mendesio Dioscoridis, atque ideo fieri non posse, ut Ægyptium

eiusdem Theoprasti pro mendesio accipi queat, quod quidem sagaciter â te animaduersum, minus ἀκριβῶς in arenam, publicúmq; productum fuit. Primò enim dum solicitius, & magno prorsus conatu falsam sententiam impotenti satellitio stabilire conaris, temetipsum, mirabile dictu, elisisse, & prorsus subuertisse agnosceris. Quorsum nanque pertinet illud ex Plinio non dicam oscitanter, sed cautè & uafre allatum? Illéne nullam de megaleo mentionem fecit? Ægyptiúmne vnguentum â mendesio vsquam disclusit? Mira hercle res, te, vt malo ouo patrocinareris, eò progressum esse, vt Plinio tribueres, quæ nusquam toto suo opere exstant: quæ verò â lippis, cœcísq; conspici possunt, nusquam apud eum auctorem legi negares. Locum mihi indica quæso, ubi ille vnguentum Ægyptium priuatim nuncupatum â mendesio separauit: egóq; protinus, hasta abiecta, cedam arena, atque tibi assurget Apollo, & ter trium uirginum mater, referétq; Pallas ipsa gratias. Quod si præstare non potes, vt certè non potes, disce nunc scriptorem illum libro XIII naturalis historiæ, capite I megaleum â mendesio, metopióq; his verbis dispescentem: Vnguentorum, inquit, expeditissimum fuit, primúmq;, vt verisimile est, ê bryo, & balanino oleo. Increuit deinde mendesium, balanino resina mixta, magísq; etiamnum metopio. Postea multò successit propter gloriam appellatum megaleum ex oleo balanino, balsamo, calamo, iunco, xylobalsamo, casia, resina. Huius proprietas, vt uentiletur in coquendo donec desinat olere. Rursus refrigeratum, odorem suum capit. Hæc ille. Deinde verò si megaleum Theophrasti, & mendesium Dioscoridis vnum esset vnguentum, ut tu opi-

naris: dic mihi de cuius ſcriptoris megaleo loquutus fuerit Dioſcorides, quando megaleum exoleuiſſe, & prorſus obliteratum ait? Profectò non de megaleo, quod Galenus cum mendeſio idem facit: ſiquidem huius compoſitionem, quòd adhuc in frequenti mortalium uſu eſſet, Dioſcorides diligenter prodendam cenſuit: ergo de megaleo, quod multò ante ſua tempora parari deſierat, quod ipſum differre ab eo, cuius Theophraſtus meminit, vix adduci poſſum ut credam: quando Theopraſtus πλέϛlω πραγματέαν circa megalei confuſionem adhiberi narrat, quo reſpiciens Plinius, dicebat megalei proprietatem eſſe, vt ventiletur in coquendo donec deſinat olere. At cùm megaleum Plinij, & Dioſcoridis vnum tantùm ſit vnguentum: efficitur profectò & megaleum Theophraſti haud aliter differre â megaleo eorundem auctorum, quàm duo eiusdem alitis oua inter ſe disſidere oratione fatemur. Nec refert Theophraſtum eadem prorſum in megaleum indere, quæ Dioſcorides adhiberi in mendeſium narrat: ſiquidem megaleum ex ijsdem rebus integratur, ex quibus & mendeſium, verùm pluribus, præſtantioribúsq;, quod Theopraſtus more ſuo ſilentio præterit, paucorum commemoratione contentus: Plinius uerò plures etiam attingit: ſed omnes latisſimè explicat Dioſcorides. Poſtremò ſi megaleum Theophraſti omnino idem eſt cum mendeſio Dioſcoridis: quomodo tuebimur Galenum, qui vnguentum Ægyptium album modò pro ſuſino lilinóue exponit, modò verò megaleum, mendeſiúmq;, immo verò & ipſum Ægyptium pro vno eodémq; nullo diſcrimine accipit. Nam quæ Dioſcorides pro tribus agnoſcit, dico ſuſinum, megaleum, & mendeſium, quomodo ſine reprehenſione in vnum

redigi

redigi posſint, animo proſpicere nequeo. Sed video te iandudum exſpectando, deſiderandoq; pendere animo, cruciari, & angi, ne reliqua duo, quibus pharetra tua etiamnum turget, iacula par aliquod infortunium apprehendat, ſpe omni, & cogitatione tua in ea ſola coniectis. Ne longum faciam, ego prouocatione utor ad ultimum ex tribus theorematibus meis: quandoquidem litem meam non facio de ijs, quæ poſſint esſe, ſed ſolùm de ijs, quæ ſunt: quorum causſas cùm tu præ ingenij tui vbertate ſubuerteris, proſtraueris, deſtruxeris: neque ea, quæ tibi videntur, graui alicuius auctoris teſtimonio communiueris, minúsq; multò validis coniecturis roboraueris: ideo te bono animo esſe iubeo: quippe qui turpe ducam coram manipulari milite claſſicum plenis buccis canere. Legi quidem ego in Græcorum commentarijs μετωπιαῖον pro vinculo frontem ambiente, ſed pharmaca, quæ dicerentur μετώπια â fronte, quemadmodum κεφαλικὰ â capite, legisſe non memini. Vnam rem adhuc addam, & te fauere, ac plaudere iuuabit, metopium vnguentum uocari ab Hippocrate νέτωπον ſiue μέτωπον: ſiquidem verò in libris de morbis muliebribus, & de natura muliebri pro quatuor rebus annumerantur, vnguentum Ægyptium abſolutè, vnguentum Ægyptium album, netopum, & galbanum: efficitur falli Galenum, qui Ægyptium abſolutè dictum interpretatur metopium, utut pertinacius, ſententiam eius defendas. Habes uir ornatisſime, quod petijſti, longæ epiſtolæ argumentum: ſi tibi uel in cæteris, quæ ad illum Galeni libellum exaraueram, paria mecum facere libeat. Quod ut commodùm præſtare posſis: mitto tibi exemplum litterarum, quas tunc

feſtinanter ad Gadaldinum ſcripſi. Si quid autem eſt præterea, quod opera mea tibi poſſit accommodare, me uotis tuis perpetuò expoſitum fore tibi perſuadeas. Vale & me ama tui amantisſimum. Patauio VIII Idus Maias. Anno â Chriſto nato MDLXVII.



HIERONYMI MERCVRIALIS

de unguentis, & quid Hippocrati significet unguentum Ægyptium: ex libro II uariarum lectionum capite XIX: qui libri prodierunt Venetijs Anno â Christo nato M D LXXI.



Eteres tam potibus, quàm cibis unguenta admiscuisse, Plinius, Plutarchus, & Athenæus memoriæ mandarunt. Ratio autem erat, quòd ut musicis sonis, cantibúsq; aures: spectaculis visum: edulijsq; palatum: sic & uarijs unguentorum, atque florum odoribus nares in conuiuijs delectare studebant: quem tamen usum non primis illis sæculis (quando nondum increuerat luxus) inuectum credimus, sed multò post Hippocratis tempora, apud quem de unguentis uarijs sæpius quidem facta mentio inuenitur, at medicinæ potius, quàm ullius libidinis loco: Ægyptij quippe omnium primi ob myrrhæ copiam inter alia medicamentorum genera unguentorum mixtiones excogitarunt: & tam diu cæteræ nationes ab illis per uniuersum orbem transportare curarunt, quàm diu in diuersis regionibus illa parare homines & mulieres edocti sunt. Quocirca mirari debet nemo, si penes celebriores ueterum auctores maior unguẽtorum, atque oleorum pars Ægyptiorum cognomina sibi uendicauit. Hippocrates enim (ut Galenus in eius uocum expositione scribit) quatuor eorum genera memorat: unum oleum Ægyptium: al-

terum

terum oleum Ægyptium album: tertium unguentum Ægyptium album: quartum unguentum Ægyptium. Hoc postremum: quod esset explicans Galenus, ait: Αἰγύπτιον μῦρον: τὸ διὰ τῆς αἰγυπτίας μῦρον ἀκάνθης τοῦ ἄνθους, ὅπερ καὶ μετώπιον ὠνόμασαι. Veruntamen fuerunt qui Hermolaum, & Ruellium sequuti, hac in re Galenum damnare ausi sunt: propterea quòd Didymus apud Athenæum unguentum Ægyptium stacten faciat, metopiúmq; & â Dioscoride, & â Paullo ualde ab Ægyptio diuersum ponatur. Cæterùm facile ij redarguentur, si quæ â Theophrasto, ac Athenæo memoriæ prodita leguntur in medium afferamus. Ille enim, in libello περὶ ὀσμῶν, hunc in modum ait: τὸ δ' αἰγύπτιον μῦρον, ἐκ πλειόνων, ἔκτε τοῦ κιναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων. ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτου, τὸ μεγαλεῖον. Id est: Ægyptium autem unguentum, ex pluribus, ex cinamomo scilicet, myrrha, atque alijs. Adhuc ex pluribus quàm istud cōponitur megaleum. Et paullò post: στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τό μικρὸν στάζειν. ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι, καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. Iterum: πολυχρονιώτατον δ' ἐστὶ τότ' αἰγύπτιον, καὶ τὸ ἴρινον, καὶ τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον. πάντων δὲ μάλιστα ἡ στακτή. Adhuc: ταῖς δὲ γυναιξὶν ἡ στακτή, καὶ τὸ μεγαλεῖον, καὶ τὸ αἰγύπτιον. Amplius: τῶν δὲ μύρων τὸ αἰγύπτιον, καὶ ἡ στακτή. Id est: gutta uocatur â guttatim decidendo, quod vnguentum solum simplex esse, & alijs minimè commixtum quidam aiunt. Et: diutius autem manet Ægyptium, & irinum, & amaracinum, & nardinum: omnium autem maximè gutta. Rursus: mulieribus gutta, & megaleum, & Ægyptium. Item: unguentorum uerò Ægyptium, & gutta. A. Ex quibus omnibus luce clarius apparet aliud Ægyptium unguentum ex pluribus pharmacis commixtum, aliud stacten exstitisse: nempe quam unguenti genus simplicissimum fuisse omnium Theophrastus: ex sola myr-

rha constitisse Athenæus capite XV libri XV: ipsius myrrhæ pinguitudinem fuisse Dioscorides scribit. Sed hîc obijciant fortasse unguentum Ægyptium Theophrasti id non esse, quod ab Hippocrate Ægyptium album nuncupatur: & propterea ex uerbis â nobis propositis nihil aliud colligi, quàm Ægyptium unguentum album, & stacten, non autem Ægyptium sim
pliciter differre. B. Quam obiectionem minimè ardumm est refellere: siquidem Galenus id σούσινον, καὶ κρινόμυρον uocatum scribit: Theophrastus uerò manifestè susinum unguentum ab Ægyptio separauit, ubi ait: Vnguentorum alia â floribus nomen mutuarunt, ut rosaceum, liliaceum, & susinum: καὶ γὰρ τοῦτο (inquit) ἐκ τῶν κρίνων: alia â folijs, ut myrrhinum & œnanthinum: alia â radicibus, ut nardinum: alia â ligno, ut phœnix: alia â fructu, ut melinum, myrtheum, & laurinum: Ægy-
ptium verò ex pluribus, ex cinamomo, ex myrrha, at-
que alijs. C. Neque illud uerum puto, quod Theophasto adscribunt, nimirum in Ægyptio unguento albedinem commendatam: quoniam is, dum myroplastas alia vnguenta, utpote uiliora, certis coloribus inficere; alia, vt pretiosiora, nullis refert: propterea Ægyptium tãquam pretiosum album, hoc est nullo colore extraneo saturatum, sed ἀχρωμάτιστον eos uoluisse innuit: quanquam scio Pollucem nigri quoque Ægyptij, & alterius, quod sagdas ab ipso, & ab Hesychio etiam φέγδας, uel, ut in Galeno, & Athenæo psagdas uocatur, mentionem fecisse: forsan quòd alterum colore nigro infectum componeretur, cuius ab alio nul-
lam mentionem factam adhuc obseruarim. D. His
omnibus addo, quod si Theophrastus diuersum agnoscit megaleum ab Ægyptio: Galenus verò ambo hæc, & mendesium, unum atque idem facit, quomodo Ægyptium album Hippocratis, sub nomine mendesij, &

mega-

megalei significatum, pro Ægyptio Theophrasti, quod â megaleo distinguitur, accipi queat, intelligere non possum: nisi forsan contendant megaleum Theophrasti aliud fuisse â megaleo Galeni. quam rem si ipsis concessero, illud tantum consequentur, verum megaleum, Galeni ætate fuisse desideratum, noménq; in aliud transijsse. Dioscorides enim scribens tempore suo megalei mixturam fieri desijsse, id ait, quod Galeni tempestate exstitisse uerisimile est: quando megaleum quidem illud uetustum uon amplius conficiebatur, sed eius nomen duntaxat in Ægyptio albo conseruabatur, ut non sine ratione is dixerit Ægyptium album ab aliquibus megaleum, & mendesium esse uocatum. Atque in hac sententia ideo magis confirmor, quoniam Plinius mendesio colorem nigrum tribuere uidetur: vnde patere potest Ægyptium album non fuisse uerum mendesium, aut megaleum: sed ipso deficiente, solùm nomen obtinuisse: & iccirco ex Theophrasto stacten, ac unguentum Ægyptium simpliciter ita dictum, non parum inter se distare. Nunc Athenæum uideamus, cuius verba in XV dipnosophistarum hæc sunt, ex vetustissimo codice Alexandri Farnesij Cardinalis maximi excepta: τοῦ δ' αἰγυπτίου μύρου μνημονεύει Ἀχαιὸς ἐν ἄθλοις φησίν. εἰς ἀργυροῦν τὶς χειρὶ κυπρίου λίθου δώσει κόσμον χριμάτων τ' αἰγυπτίων; μήποτ' οὖν (φησὶν ὁ Διδυμος) καλουμένην στακτὴν λέγει διὰ τὴν σμύρναν; ἣν εἰς αἴγυπτον καταγομένην κομίζεσθαι πρὸς τοὺς ἕλληνας:

Id est: Ægyptij unguenti mentionem facit Achæus in Certaminibus: In argenteum quis manu Ciprij lapidis unguentorum Ægyptiorum dabit ornamentum? Nunquid (ait Didymus) guttam uocatam dicit ob myrrham,
E quam scimus in Ægypto natam
F ad Græcos portari? Ex quibus nemini obscurum est Didymum minimè asserere de Ægyptio unguento

guento simpliciter sic appellato, quod ab Achæo pro stacte comprehensum sit. At potius interrogantis instar de illo ambigere videtur. Quam dubitationem omnino leuem putare debemus: quoniam Achæus, cuius verba interpretari studet, de Ægyptijs vnguentis non autem de uno solo mentionem facit. G. Metopij verò nomen cùm oleo amygdalino, & alijs multis tributum reperiatur, nihil inconuenit quinetiam vnguento Ægyptio, vt scribit Galenus, fuerit traditum. H. Propterea locum illum Hippocratis in libro de locis in homine, διέντα μετώπω, tam in Græcis omnibus codicibus, quàm in Latinis corruptum, & μετωπίω restituendum arbitror: vel enim pro oleo amygdalino, vel pro vnguento Ægyptio capiamus, melius sanè ad explicandam Hippocratis mentem cōsultum erit.

G

H

MELCHIORIS GVILANDINI glosſemata in præcedens Hieronymi Mercurialis caput.

GVILANDINVS MERCVRIALI κρίνειν τὰ ὅλα.



Ræclarè legibus comparatum eſt Hieronyme Mercurialis clariſsime, ut reus cauſſam nemo defendat non citatus. Iam hoc quoque natura propè iniquiſsimé comparatum eſt, quòd τῆς ὀργῆς ægrè ſeneſcat ἡ νόσος. Itaque dabis ueniam homini irato, & prouocato abs te ad ſcribendum, ſimúlq; ut cauſſam defendat compulſo, ac publicè citato. Et, ſi æquum eſt reſpondere in amore ijs, â quibus prouocere, quid ni & â quibus abſens magni criminis iniuſtè damnatus ſis? Equidem uir præſtantisſime μυρσαιγυπλιονίκη illa, quam Varijs tuis inſeruiſti inflatius, coëgit me etiam inuitum, vt id quod iandiu obliuioni tradideram, in memoriam reuocem, & ſcribam tibi denuo, an ſententiam tuam putem potiorem. Multa autem uideri uolumus velle, quæ re uera nolumus: & ſæpe aliud uolumus, aliud optamus & uerum ne diuis quidem dicimus, ſed diui, aut iraſcuntur, aut miſerentur. Ego me, omiſsa miſericordia, vindicabo, & tibi nonnulla gloſsemata impingam, quæ tu, ſi inuitus leges, dicito: Ego mihi hoc malum iumento meo arceſſiui: ego hanc anagyrum moui. Sed ne πάρεργον ἔργον ποιεῖσθαι videar, hîc præfari deſino.

Ad

Ad elementum marginale A.

QVod si Theophrastus pro duobus agnoscit stacten, & unguentum Ægyptium, id equidem neque iui inficias, neque meæ sententiæ officit, quòd haud cótendo omne unguentum Ægyptium esse stacten, sed hoc solùm profiteor, stacten uocari etiam vnguentum Ægyptium. Verum neque latêre me id pòtuit, quando multò ante quàm tu litem istam aduersus me instituceres, libellum illum περὶ ὀσμῶν, doctissimis Turnebi annotationibus illustratum, magna diligentia perlegeram.

Ad elementum marginale B.

SI λευκόϊον Græcis sonaret, quod Latinis lilium,& liliaceum, ut tu sentire videris, qui λευκόϊον in uerbis Theophrasti liliaceum transtulisti, nequidquam ratio hæc tua me malè acciperet: quin pro mea magis parte loqueretur,quando dicere possem susinum Theophrasti,vt differens per te â liliaceo, aliud esse â susino Galeni, qui auctor susinum,& liliaceũm non discernit, quemadmodum neque Dioscorides. Sed quia λευκόϊον significat non lilium, nec liliaceum, sed violam, & uiolaceum, & suspicari quis posset te totius negotij summam tua illa ratiocinatione confecisse, absoluisseq;. Quam ego sanè tanti æstimo, vt credam aliud nihil ea concludi, quàm vnguentum Ægyptium album fuisse quidem communiter, & impropriè uocatum liliaceum, susinúmq; sed quod susinum propriè dictum, idem sit cum Ægyptio albo,ego minimè puto approbari. Si verò tu omnino id ais: iam erit vnum

tantùm idémque vnguentum, Ægyptium absolutè ac simpliciter dictum, Ægyptium album, megalium, mendesium, metopium susinum, liliaceum, & anthinum. Nam Galenus libro II pharmacorum partium eiusdem numeri capite scribit Ægyptium absolutè, vocari etiam megalium, atque mendesium: & in linguis dici quoque metopium confirmat. Quo in libro Ægyptium album nominari etiam liliaceum, susinum, & mendesium inquit: quemadmodum anthinum appellari susinum, & liliaceum ait. Quandoquidem verò in libro linguarum tribus pro unguentis annumerantur, Ægyptium absolutè, Ægyptium album, & anthinum, efficitur susinum fuisse non vnum, sed duplex vnguentum: quorum alterum propriè, vt dixi, susinum nuncupabatur, alterum communiter, & impropriè. At temerarium mehercule foret asseuerare Theophrastum de susino loco maximè proprio agentem, intellexisse de impropriè dicto. Igitur par est, vt susinum eius philosophi non differre ab anthino Galeni statuamus: vocatum verò communiter susinum, esse quod Galenus Ægyptium album, Theophrastus autem Ægyptium absolutè cognominat. Quam sententiam confirmat Hippocrates, siquidem in libro de natura muliebri Ægyptium album, & susinum pro duobus unguentis proponit. Atque sic fundamentum assertionis meæ secundum, pristinum robur etiamnum conseruat, obtinétq;. Sed enim quia quæ mihi in litteris sunt comperta, nequeo in sanctuaria intrudere, non dissimulabo ipsummet Theophrastum discreuisse susinum, & liliaceum, ut appareat optimi uatis officio te functum esse, & certum prorsus diuinasse, cùm liliaceum de eius sententia diuersum â susino faciebas. Quod ut clarè patescat, adscribam primò uerba Theophrasti ex libro περὶ ὀσμῶν, nulla planè qualitate immutata quàm exstant

ſtant in impresſis codicibus, quos Oporinus, Voſcoſanus, & Aldi filij excusſerunt. Deinde verò oſtendam quomodo ea corrigenda ſint ex Athenæo, qui locum illum integrè tranſcripſit in librum & caput quintumdecimum dipnoſophiſtarum. Quibus peractis, patebit non Theophraſtum modò ſuſinum â liliaceo ſeparaſſe, ſed Latinorum Athenæi exemplarium non paruam lacunam expleſſe me diligens lector intelliget. Σωτίθενται, φησὶ Θεόφραστος, τὰ μῦρα, ἀπ᾽ ἀνθῶν μὲν, οἷον τὸ ῥόδινον, καὶ τὸ λευκόϊον, καὶ τὸ σούσινον. καὶ γὰρ τοῦτο ἐκ τῶν κρίνων. ἔτι δὲ τὸ σισύμβρινον, καὶ τὸ ἑρπύλλινον, καὶ ἡ κύπρος. καὶ πρὸς τούτοις τὸ κρόκινον. βέλτιστον δ᾽ ἐν Αἰγίνῃ καὶ Κιλικίᾳ Quæ uerba Athenæus, citatis nominatim cùm Theophraſto, tum libro περὶ ὀσμῶν, ſic refert. Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ ὀσμῶν σωτίθεσθαι φησὶν μῦρα, ἀπ᾽ ἀνθέων μὲν ῥόδινον, καὶ λευκόϊνον, καὶ σούσινον· καὶ γὰρ τοῦτο, ἐκ τῶν κρίνων, ἔτι δὲ τὸ σισύμβρινον, καὶ ἑρπύλλινον. ἐν δὲ κύπρῳ καὶ τὸ κρίνον· ἔτι δὲ τὸ κρόκινον· βέλτιστον δ᾽ ἐν Αἰγίνῃ καὶ Κιλικίᾳ. Hoc eſt. Theophraſtus in libro de odoribus ait componi vnguenta, ê floribus quidem, ut roſaceum, violaceum, ſuſinum: hoc enim ê lilijs fit. Adhæc ſiſymibrinum, & ſerpillinum. In Cypro uerò & liliaceum. Præterea & crocinum, quod præſtantisſimum in Ægina, & Cilicia conficitur. Ex quibus perſpicuum fit Theophraſtum pro duobus habere ſuſinum, & liliaceum, quamuis vtrunque lilia recipit. Sic Dioſcorides ſeparatim meminit Hedychroi, & Amaracini, quæ unguenta neque uiribus, neque miſturis differunt, ſed ſolummodo ſuauitate odoris, colorisq;. Quin Megalium, quod idem Dioſcorides pro tertio annumerat, â prædictis non niſi vna reſina disſidet. Cæterùm nemo his præſtare aſſenſum uereatur propterea quòd Theophraſtus non dixerit κρίνινον, vt loqui conſueuerunt Dioſcorides,

& Ga-

& Galenus, cùm unguentum liliaceum nominare uolunt, ſed potius κρίνον: ſiquidem ſæpenumero philoſophus hic unguenta nomine eius materiæ, quæ principatum in his habet, afficit, ut cyprinum unguentum aliquoties cyprum appellat, & vnguentum ê violis albis uocat leucoium, tametſi Athenæus leucoinum legerit. Accedit Galeni in linguis teſtimonium, oleum liliaceum uocari λίρινον, cum littera ν, itémq; λίριον, ſine littera ν, perhibentis. Quæ uocabula reuocant mihi in memoriam duos Theophraſti locos â Gaza ſilentio tramisſos, quòd deprauatos esſe intelligeret quidem uir vndequaque doctisſimus, ſed quomodo corrigere oporteret animo proſpicere non posſet. Vnus eſt libro IX hiſtoriæ plantarum, capite XVI, vbi inquit: ἐφήμερον τὸ φύλλον ὅμοιον ἔχειν τῷ ἐλλεβόρῳ, ἢ τῷ αἰρίῳ. Legendum enim λιρίῳ oſtendunt Dioſcorides, & Galenus, qui ambo ephemerum folia lilij habere memorant, ſi modò eadem ſit planta ephemerum Dioſcoridis, & Theophraſti, quod Galenus, & Paullus minus probare uidentur. Alter eſt libro III earundem de hiſtoria plantarum, capite ultimo, quo loco uerba faciens de ſmilace, quam Gaza ex Plinio hederam Ciliciam uocat, in hæc uerba ſcribit: ἄνθος δὲ λευκὸν καὶ εὐῶδες καὶ ἴρινον. Sed legendum λίρινον non obſcurè demonſtrat Plinius libro XVI, capite XXXV, cùm ait ſmilacis florem esſe candidum, & olere lilium. Cæterùm Lirium idem esſe quod lilium, præter Galenum Dioſcorides quoque & Erotianus teſtantur. Theophraſtus, Niger, Dioſcorides lirium etiam narcisſum uocari tradunt. Pollux verò omne genus florum liria ab Homero nominari dictitat. Hæc in tranſcurſu monuisſe quid officiet? Adijciam ad ſuperiora pro mantisſa quod Dioſcorides, & Plinius profitentur, qui palàm diſcriminant ſuſinum,

& men-

& mendeſium: at cùm Galenus doceat Ægyptium album uocari tum ſuſinum, tum mendeſium, niſi conſtituerimus duo ſuſina, & totidem mendeſia, uidere non poſſum, quî aut hic, aut illi extra culpam reponi queant. Illud inſuper ſilentio transmitti â me ſine iniuria lectoris non poteſt, locum Theophraſti de unguentis, quem tu perperam expresſiſti, ita in latinum conuerti debere: Vnguentorum alia ê floribus componuntur, vt roſaceum, uiolaceum, ſuſinum: hoc enim ex lilijs fit: alia ê folijs, ut myrteum, & œnanthinum: alia ê radicibus, vt nardinum: alia ê ligno, ut palmeum: alia ê fructibus, vt melinum, myrteum alterum, & laurinum: & ex multis Ægyptium, cinamomo, myrrha, alijs.

Ad elementum marginale C.

AN non Galenus differentiam facit inter Ægyptium abſolutè dictum, & Ægyptium album? Cùm ergo Theophraſtus inquit, διότι τὸ μὲν αἰγύπτιον καὶ τὴν κύπρον λευκὰ εἶναι βούλονται, de alio quàm de Ægyptio albo intellexisſe potuit? Profectò Ægyptium album uidetur dictum esſe non niſi ad differentiam Ægyptij ſimpliciter uocati, cui alium inhæſisſe colorem quàm album non dubito, quicunque ille fuerit, niger an cinereus, viridis an cæruleus, luteus an purpureus non multum laboro.

Ad elementum marginale D.

SI unum eſt tantum atque idem unguentum (ut equidem affirmare uideris) Ægyptium abſolutè, Ægyptium album, megalium, atque mendeſium, quomodo

modo non coincidit Ægyptium album Hippocratis cum Ægyptio Theophrasti, si Galenus tam Ægyptium album, quàm Ægyptium absolutè uocari mendesium ait? Videris non meminisse primi in assertione mea fundamenti, quod cum Galeno quatuor esse statuit Ægyptium unguentum, Ægyptium unguentum album, Ægyptium oleum, & Ægyptium oleum album. Cæterùm megaleum Theophrasti aliud esse â megaleo Galeni, satis inde perspicitur, quia Ægyptium, cuius Theophrastus meminit, â Galeno appellatur megaleum. At cùm Theophrastus separet megaleum ab Ægyptio, efficitur necessariò megaleum hoc suum differre â megaleo Galeni. Megaleum quidem Theophrasti idem erat cum Amaracino, nisi resina exsuperaret, vt ait Dioscorides. Megaleum uerò Galeni â Dioscoride cognominatur mendesium, si modò Galenus rectè pro uno unguento accipit megaleum, atque mendesium. Quando deinde concludis nomen megalei ætate Galeni transijsse in Ægyptium album, uideris mihi tuo hoc apotelesmate palmam extorquere Iouis diphtheræ inspectoribus, qui multa quidem de archaicis cronicisq; solent disserere, sed pauca testibus fide dignis confirmare. Omitto quòd non rectè Galeno imputas, scripsisse eum Ægyptium album appellari megaleum, quando is Ægyptium absolutè eo nomine, & præterea mendesium, metopiúmq; uocari ait. Ægyptium uero album dici non megaleum, sed mendesium solùm, & insuper liliaceum, ac susinum asserit. Ex quibus non obscurè colligitur, quòd quemadmodum duo erant susina, sic duo fuisse mendesia, quorum alterum opinione Galeni non differebat ab Ægyptio absolutè nuncupato, alterum uerò idem erat cum Ægyptio albo. Quod postremò ex Plinio accersis mendesio colorem nigrum tribuente, non magis tuam

tuam uidetur quàm meam ſtabilire ſententiam, quippe qui duo fuiſſe mendeſia, & totidem megalea cenſeam, diſcrimine albi, nigriq;, non aliter quàm Ægyptiorum unum nominabatur album, alterum ſimpliciter Ægyptiũ, quod pro nigro interpretari nihil prohibet.

Ad elementum marginale E.

NEque myrrha in Ægypto naſcitur, neque hoc Didymus perhibet.

Ad elementum marginale F.

ANimaduerto particulam μήποτε tibi etiamnum nauſeam facere. Quare adſcribam huc exempla aliquot non ex Simplicio tantùm, apud quem nuſquam non in ſignificatione affirmandi occurrit, ſed ex alijs quoque auctoribus. Cùm Simplicius libro IIII phyſicorum, commentario LI quærendum propoſuiſſet, quomodo cœlum in loco per accidens eſſe dicatur, & obiter Themiſtium caſtigaſſet, qui cœli ſupremi extimam ſuperficiem extra locum, intimam uerò in loco conſiſtere dixerat, ſoluens inquit: μήποτε δὲ ὅπερ καὶ πρότερον εἶπον, οὔτε κατὰ συμβεβηκός ἐστιν ἐν τόπῳ, οὔτε τὸ πᾶν, οὔτε ὁ ἀπλανὴς οὐρανός. Et paullò poſt: μήποτε δὲ οὔτε τῆς ἀπλανοῦς, οὔτε ἄλλης σφαίρας τὰ μέρη ἐν τόπῳ ἐστι. Rurſus: μήποτε δὲ ὡς καὶ αὐτὸς Ἀλέξανδρος ἐπέστησεν ἐφαρμόσοι ἂν καὶ τῇ ἀπλανεῖ τὰ λεγόμενα. Et mox: μήποτε δὲ ἐπὶ τοῦ παντὸς κόσμου δείξας ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν τόπῳ, καὶ βουλόμενος μηδὲ τὸν οὐρανὸν εἶναι ὡς ἐν τόπῳ διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, οὐ γάρ ἐστι τι τοῦ ὅλου οὐρανοῦ ἔξω. In quibus locis omnibus quem ſenſum faciat dictio μήποτε, tu, qui Græca â pueritia didiciſti, non ignoras. Neque aliter uocula ea vtitur Ammonius, apud quem in commen-

tarijs libri de interpretatione, capite de Verbo, ſic legitur: καὶ μήποτε δεῖ λέγειν ὅτι αἱ ἐνέργειαι, καὶ τὰ πάθη, φύσεις τινὰς ἔχουσι, καὶ ἰδιότητας: Id eſt, ut tranſtulit Iohannes Baptiſta Raſarius, uir publica Græcarum, & Latinarum litterarum profeſsione, atque optimorum auctorum in Latinum conuerſione clariſsimus: Dicendum ſanè eſt, actionibus, & affectionibus naturas quasdam ac proprietates eſſe. Et eorundem de interpretatione commentariorum parte tertia, contextu penultimo: καὶ μήποτε χρὴ τῆς ῥήσεως οὐ διαζευκτικῶς ἀκούειν, ἀλλὰ τὸ ἢ λέγειν ἀντὶ τοῦ καὶ παρειλῆφθαι, ὡς καὶ παρ᾽ Ὁμήρῳ τὸ, ἠὲ νέος, ἠὲ παλαιὸς, ἀντὶ τοῦ καὶ νέος, καὶ παλαιός. Equidem, inquit, uerba non intelligenda ſunt, quaſi diſiunctè ſint ab Ariſtotele pronunciata: ſed quod dixit, Aut, pro Et, accipiendum: vt etiam apud Homerum, Iuuenísue, ſenéxue, pro Iuuenisq;, ſenéxq;. Verùm Galenus quoque in linguis uolens docere quid ſit Hippocrati parthemium, apertè innuit protuliſſe Dioſcoridem illud μήποτε in ſenſu affirmandi, pudendo alioquin interpretis errore affirmatiuam orationem in negatiuam permutantis. καλεῖται δὲ φησὶ, παρθένιον καὶ ἡ ἀνθεμὶς, καὶ ἡ ἑλξίνη, καὶ ἡ λινόζωστις, καὶ τὸ ἀμάρακον. ἀλλὰ καὶ Διοσκουρίδις, μήποτε, φησὶν, ἀκουστέον ἤτοι τῆς ἑλξίνης, ἢ τῆς λινοζώστεως τὸ εἶδος τὸ σμικρόφυλλον: Appellatur, inquit, parthenium, & anthemis, & helxine, & mercurialis, & amaracum. Quin etiam Dioſcorides ait intelligere oportere ſpeciem aut helxines, aut mercurialis puſillifoliam. Præterea Theophilactus in commentarijs in Marcum capite XV ita infit: ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν οἶνον ἐσμυρνισμένον. ἡ δὲ σμύρνα, πικρότατόν ἐστι. ἄλλος δὲ Εὐαγγελιστὴς, ὄξος μετὰ χολῆς. καὶ ἕτερος ἄλλο τι λέγει προσενεχθῆναι τῷ κυρίῳ. καὶ οὐδὲν ἐναντίον ἐν τούτοις· ἀταξίας γὰρ οὔσης, ἄλλα ἄλλοι προσέφερον. καὶ ὁ μὲν, ὄξος καὶ χολὴν, ὁ δὲ, οἶνον ἐσμυρνισμένον. μήποτε δὲ ὁ καὶ οἶνος ὀξίνης ἦν, καὶ ἡ σμύρ-

να

να πικρὰ, καὶ λοιπὸν συντρέχουσιν ὅ, τε λέγων ἐσμυρνισμένον οἶνον, καὶ ὁ λέγων ὄξος μετὰ χολῆς. ὅ, τε γὰρ οἶνος, ὄξος· καὶ ἡ σμύρνα, χολή. ὁ μὲν, διὰ τὸ ὀξίνης εἶναι. ἡ δὲ, διὰ το πικρά. Quod eſt: Dederunt illi bibere uinum myrrhatum. Myrrha autem amariſſima eſt. Alius autem Euangeliſta dicit acetum cum felle, & alius aliud quid oblatum eſſe domino: & nihil in his contrarium. Vigente enim confuſione, alij alia offerebant: & alius quidem acetum & fel, alius autem uinum myrrhatum. Equidem & uinum uappa erat, & amara myrrha: & hinc conueniunt quod dicit ille myrrhatum uinum, alius dicat acetum cum felle. Nam & vinum dici poteſt acetum, quia uappa erat: & myrrha fel, quia amara. Sed exemplorum plus ſatis. Itaque conſtare tibi iam poteſt particulam μήποτε in verbis Didymi non facere negandi, aut dubitandi ſenſum, quod tu exiſtimas, ſed, quod ego dixeram, cum grauitate philoſophica affirmandi.

Ad elementum marginale G.

TV curtum ſermone rotato ſic torques enthymema: Metopij nomen denotat primò plantam galbaniferam: deinde eiuſdem plantæ ſuccum: poſtea unguentum propriè dictum: mox oleum amygdalinum: poſtremò ἢ τὸ μέτωπον, ἢ τὸ μεσόφρυον, auctore Euſtathio Iliade λ (tot enim, nec plures ex facili ſignificationes metopij inuenias) Ergo ſignificat etiam vnguentum Ægyptium. Rem ridiculam. Quàm ſit enim ἀσυλλόγιστος iſte ratiocinandi nexus, nemo eſt qui neſciat. Si Galenum appellas aſſerentem, caue ne illa te fallacia munias, quam ſcholæ logicorum petitionem principij indigitant.

Ad elementum marginale H.

ETSI vbique requiratur circumſpectio & accurata conſideratio, tamen nullibi magis neceſſaria eſſe videtur, quàm cùm de ueterum ſcriptorum uerbis, dictiſue iudicium facere cogitamus. Vix alibi grauiore litterarum damno peccatur. Quô fit ut criticos iſtos monumentorum antiquorum minus idoneos cenſores caſtigatoréſq;, odio proſequar plus quàm Vatiniano. Quod te quoque facere Mercurialis præſtantiſſime, ideo minus dubito, quô plus omnigena eruditione præcellis. Veruntamen miror non parum, quo ſpiritu permotus caſtigaueris Hippocratis in utraque lingua locum, quem tantùm abeſt iſta egere ope, ut contrà auſim affirmare, ſi μετωπίῳ pro μετώπῳ in eo reponamus, nos pro germana, & legitima lectione deteriorem, ac ſpuriam approbaturos. Vbi nanque uel ſemel tantùm in omnibus eius auctoris operibus μετώπιον legitur? At νετώπȣ ἢ μετώπȣ, pro eo quod poſteriores metopium dixere, toties in libris de morbis mulieribus, de ſuperfœtatione, de natura muliebri, & alibi habetur mentio, ut pigeat locos adſcribere. Habes Hieronyme Mercurialis, quæ asſertionem ſententiæ in Galenum â me pronunciatæ tueantur: ad quæ reprobanda, ſi tu uſus fueris demonſtrationibus & documentis tam bonis, támq; perſpicuis, ut ego æreas rationes aureis permutasſe uidear, ſanè rem præſtabis cùm excellenti doctrina tua dignam, tum mihi apprimè gratam. τά δ᾽ ἄλλ᾽ εὖ πράττε.

Pigrum uelle & non uelle.

Auctores

AVCTORES, QVORVM testimonio in duobus his opusculis usus est Guilandinus.

GRÆCI EXSTANTES

Aristoteles.
Aristides.
Arrianus
Aristophanes,& eius scholiographus.
Athenæus.
Anacreon
Alexander Aphrodisieus
Alexander Trallianus
Alexander interpres metaphysicorum Aristotelis
Antonius Liberalis
Apollonius Rhodius,& eius scholiographus
Archilochus historicus
Ælianus
Æschylus
Apsyrtus
Ammonius
Appianus historicus.
Basilius Magnus
Cassianus Bassus, qui nunc Constantinus Cæsar.
Chrysostomus
Clemens Alexandrinus
Dioscorides Anazarbeus
Dion historicus

Diony-

Dionyſius hiſtoricus
Dionyſius geographus
Diodorus Siculus
Diogenes Laërtius
Demetrius Phalereus
Eunapius
Euſtathius
Euſebius
Euripides
Epiphanius
Erotianus
Etymologicum magnum
Galenus
Gregorius Nazianzenus
Georgius Cedrenus
Hippocrates
Heſiodus
Homerus
Herodotus
Heliodorus
Heſychius
Iohannes euangeliſta
Iohannes Grammaticus Philoponus
Iohannes Tzetzus
Iſaacius Tzetzus frater Iohannis
Iulianus Apoſtata
Ioſephus
Iudas apoſtolus
Iuſtinus martyr & philoſophus
Iamblichus
Lucas euangeliſta
Lycophron, & eius interpres
Matthæus euangeliſta
Maximus, qui Ariſtotelis libros de plan-

plantis ex Arabico in Græcum transſtulit.
Nemeſius
Nicander, & eius ſcholiographus
Olympiodorus
Orpheus
Oribaſius
Orus Apollo
Origenes
Plato
Plotinus
Proclus
Porphyrius
Plutarchus
Polybius
Photius
Philoſtratus
Philo Iudæus
Pauſanias
Pindarus
Pollux
Paullus Ægineta
Ptolemæus
Procopius
Strabo
Suidas
Stephanus de urbibus
Septuaginta interpretes
Simplicius
Sophocles
Theophraſtus
Thucydides
Themiſtius
Theocritus, & eius ſcholiographus

Theodorus Gaza
Timæus Locrensis
Theophilactus
Xenophon
Zonaras
Zenodoti prouerbia.

GRÆCI NON EXSTANTES.

Aristophanes Byzantius
Aristomenes
Antiphanes
Achæus Tragicus
Armenidas
Apollodorus grammaticus
Apollodorus chronographus
Antimachus
Aristarchus
Alcæus lyricus
Archemachus
Artabanus
Anatolius
Appion grammaticus Alexandrinus
Artemidorus geographus
Apollonius medicus
Æmelius
Æmilianus
Ctesias
Cratinus
Crateuas
Crates grammaticus.
Didymus
Democritus Abderita
Democritus Trœzenius

Diony-

Dionysius Thrax
Dioscorides interpres Hippocratis
Empedocles
Epicharmus
Euripides grammaticus
Ephorus
Euphorbius historicus
Eratosthenes
Euthymenes
Euphorion
Florentinus geopo nicus
Georgius episcopus Alexandrinus
Hermias Platonicus
Hippias Rheginus
Hicesius
Malchus Byzantius sophista
Metagenes
Menander
Meleager Gadareus
Nicolaus Damascenns
Nicomachus
Niger medicus
Pythagoras
Prothagoras
Philochorus
Plato comicus
Phemius præceptor Homeri
Praxagoras
Philarchus
Phrynis
Simonides
Socrates philosophus
Simus Homeri scholiographus
Solon

Sappho
Sosibius Lacon
Sibyllini libri
Theopompus
Thessalus Hippocratis filius
Thessalus Iatronices
Timotheus
Zoroaster,

LATINI EXSTANTES.

Ambrosius
Arnobius
Augustinus episcopus Hipponensis
Augustinus Niphus Suessanus
Augustinus Gadaldinus
Apuleius
Ausonius
Ammianus Marcellinus
Alexander Neapolitanus iurisconsultus
Ælius Lampridius
Aurelius Prudentius
Asconius Pedianus
Adrianus Turnebus
Andreas Alpagus
Andreas Alciatus
Aldus Manutius senior
Becichemus
Bernardinus Scardeonus
Cicero
Columella
Cato
Cornelius Tacitus
Cornelius Celsus

Ianus Cornarius
Iuſtinus hiſtoricus
Iohannes Goropius Beccanus
Iohannes Baptiſta Raſarius
Iohannes Cæſarius.
Liuius
Lucius Florus
Lucanus
Laurentius Valla
Lilius Gyraldus
Lactantius
Lucretius
Ludouicus Viues
Martialis
Martianus Capella
Martianus Iuriſconſultus
Marcellus medicus antiquus
Marcellus Virgilius
Macrobius
M. Antonius Muretus
M. Antonius Zimara
Marſilius Ficinus
Nonius Marcellus
Nicolaus Perottus
Nicolaus Leonicus
Ouidius
Oroſius
Onuphrius Panuinius
Plinius ſenior
Plinius iunior
Plinius Valerianus
Palladius Rutilius
Plautus
Propertius

Petrus Aponensis
Petrus Bembus
Petrus Pomponatius
Petrus Gyllius
Petrus Victorius
Petrus Crinitus
Petrus Bellonius
Petrus Andreas Matthæolus
Petrus Martinius Morentius
Paullus Iouius
Paullus Hessus
Pierius Valerianus
Priscianus grammaticus
Quintilianus
Quintus Curtius
Ruellius
Romulus Amasæus
Rembertus Dodonæus
Raphael Volaterranus
Rhemnius Fannius Palæmon
Seneca
Suetonius Tranquillus
Seruius
Sidonius Apollinaris
Sebastianus Foxius
Scribonius Largus
Salustius
Sigismundus Gelenius
Serenus Sammonicus
Solinus
Stephanus Aqueus
Statius Papinius
Sosipater Charisius
Sirenius Brixianus

Thomas Aquinâs
Terentius
Terentianus Carthaginensis
Theodorus Gaza
Tertullianus
Trifernates
Varro
Virgilius
Vitruuius
Vopiscus
Velleius Paterculus
Vlpianus Iurisconsultus
Valerius Cordus
Vegetius
Valerius Maximus

LATINI NON EXSTANTES.

Asinius Pollio
Antiâs Valerius
Atta poëta
Accius tragicus
Afranius
Augustus
Cinna poëta
Cornelius Nepos
Calphurnius
Cæcilius comicus
Caius Gracchus
Cassius Hemina
Ennius
Fannius poëta
Fannius historicus
Fannij duo oratores

Fannius Palæmon, qui idem cum Rhennio.
Fabius Pictor
Gellius historicus
Licinius historicus
Lucilius poëta
Macer historicus
Mutianus
Nerua iurisconsultus
Næuius
Numa Pompilius
Oppius
Plancus
Pacuuius tragicus
Pomponius Secundus tragicus
Pomponius comicus
Piso Censorius
Roscius Victorianus
Sabinus Iurisconsultus
Tubero historicus
Turpilius comicus
Tiberius Gracchus
Tuditanus
Verrius.

HEBRÆI LATINE EXSTANTES.

Dauid psalmographus
Dauid Kimhi
Esaias propheta
Ezechiel propheta
Esdras
Iesus Christus Deus & homo
Ieremias propheta
Iudith

Iosue
Iob
Moyses propheta
Moyses Cordubensis, qui & Ægyptius dicitur
Machabæorum libri
Nahum propheta
Solomon rex

HEBRÆI LATINE NON EXSTANTES.

Chronica Hebræorum
Leui Gerson
Moyses Gerundensis
Thargum Chaldaicum.

HEBRÆI NON EXSTANTES.

Enoch septimus ab Adam magno.

ARABES LATINE EXSTANTES.

Auicenna
Auerrhoës
Algazel
Bubekir, qui & Elkaui vocatur
Serapio

ARABES LATINE NON EXSTANTES.


Auenzaha
Ebendithar
Zabiorum libri

PROMISCVI.

Ariostus poëta Italicus
Iohannes Barrhus geographus Lusitanus

Series cartharum.

** * A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.



GUILANDIN
PAPYRUS